



TRIDUUM  
SACRUM  
SIVE  
EXERCITIA  
TRIDUANA

QUE  
VENERABILE CAPITULUM RURALE  
BIBERACENSE  
PRO RECOLLECTIONE  
ET MENTIS PROFECTU SALUTARITER  
MDCCLXIX. INSTITUIT  
PRÆSIDE ET DIRECTORE  
P. SEBASTIANO SAILER,  
MARCHTALLENSI CANONICO  
ORD. PRÆMONST.  
TUM PAROCHO IN DIETERSKIRCH.



SUPERIORUM PERMISSU.



AUGUSTÆ VINDELICORUM,  
SUMPTIBUS MATTHÆI RIEGER p.m. FILIORUM.

MDCCLXXV.

EMINENTISSIMO, ET REVERENDISSIMO  
IN CHRISTO PATRI

AC  
DOMINO, DOMINO  
**FRANCISCO**  
**CONRADO**

S. R. E. TIT. S. MARIÆ DE POPULO  
CARDINALI PRESBYTERO  
DE RODT.

EPISCOPO CONSTANTIENSI

S. R. I. PRINCIPI  
DOMINO AUGLÆ MAJORIS, ET ÆNINGÆ  
INCLYTI ORD. S. JOANNIS HIEROSOLYM.

BAJULIVIO, ET PROTECTORI  
IN SIGN. REG. ORD. S. STEPHANI I.

HUNGARIE REGIS  
MAGNÆ CRUCIS EQUITI  
ABBATI INFULATO ZICKCARDENSI  
IN HUNGARIA  
PRÆPOSITO MITRATO EISGARNENSI  
IN AUSTRIA

NEC NON  
ABBATI IN CASTELLO BARBATO  
DITIONIS CREMONENSIS ETC. ETC. ETC.

**DOMINO,**  
**DOMINO NOSTRO**  
**CLEMENTISSIMO.**



EMINENTISSIME!  
REVERENDISSIME!  
CELSISSIME!

Pedibus tuis Reverendissimis acclines  
EMINENTISSIME PRINCEPS! eo teme-  
ritatis prolabimur, ut opellam hanc  
tenuem cum Respe&tū Tibi offeramus de-  
mississimo. Fatemur equidem, factum  
fuisse nunquam, ut tantæ audaciæ notam  
inureremus nobis, nisi de gratiosissimo an-  
nuntiū Tuo fuissemus securi. Scimus, quo  
Zelo\vere Apostolico pro Bono & Emo-  
lumento\Amplissimæ Dicecesis Tuæ vires  
omnes cum diebus vitæ tuæ integerimæ  
efficitim impendas. Nunquam profe-  
sto defuere Constantiæ Antistites, qui

pro animarum salute laborarint indefesse, at famen asseveramus sancte, & indubie in Te uno quasi in Centro confluxisse omnia, quæ pro Dicecessis Tuæ splendore, & utilitate contulere Antecessores Tui omnes, in hoc singulariter notatur Zelus Tuus PRINCEPS EMINENTISSIME! quod in vitam facerdotum Tuorum sagacissimus sis, perspicacissimus juxta, qua cura decumana non impendis Te pro Seminarii bono, quid non moliris, ut Juvenes Altari destinandi & sacrario optimis imbuantur moribus, &

vitæ

vitæ disciplina? quo studio non anhelas, ut sacerdotes Dicecessis Tuæ amplissimæ vita & doctrina in vinea Tibi a Domino confisa laborent indefesse? ne aper de sylva, Sathanas, eam devastet? quot decreta non sanxisti, ut Oviculæ pascuis non egeant, ipsique Pastores sint forma gregis perfectissima? inter quæ illud singulare omnino est, ut sapientius in sacra Exercitiorum solitudine se recolligant, ut munio suo fungantur illibatissimi. Huic apprime in tantum Capitulum Biberacense Tibi devotissimum voluntati

\* \* \*

Tuæ sanctissimæ ut conformaret se se im-  
pendit operam omnem, ut in his pagel-  
lis constat, quas Tibi EMINENTISSIME  
**PRINCEPS!** devotissime dedicat. Acci-  
pe hæc folia in submississimæ devotionis  
testimonium, & gratiarum amplissima-  
rum Redhostimentum. Addat Tibi an-  
nisque Tuis pretiosissimis Deus optimus  
maximus annos Nestoris, Pyladisque, ne  
nos perterreat, exanimetque porro, quod  
de Valetudine Tua periculum sentiente  
audivimus hinc inde. Averruncet Deus  
author vitæ & necis Jacturam tanti


PRIN-

PRINCIPIS, cuius Epocham aureis litteris  
notabit posteritas. Admitte-votum hoc  
nostrum, quo pagellas istas cum demis-  
sissimo sacræ purpuræ osculo siguamus  
EMINENTISSIMÆ, REVERENDISSIMÆ  
**PATERNITATIS**  
**T U A E**  
**DOMINI, DOMINI NOSTRI**  
**CLEMENTISSIMI**

HUMILLIMI DEVOTISSIMI  
FILII  
**DECANUS, PRÆSES, ET CAPITULUM**  
**BIBERACENSE.**

\* 5

Pau-



## *Paucula Lectori.*



**O**fferimus, non obtrudimus tibi Lector amice! hæc folia. Hoc ea excuset sat-  
tis, quod in profectum Sacerdotum utcunque  
Scripta sunt. Multa quidem Tridua sacra pu-  
blica luce jam fruuntur meliora nostris pror-  
sus, interim & hæc tuo dignare obtutu, quod  
intentione optimæ scripta sunt, adeoque Zoi-  
lorum Momorumque dentibus haud adeo dis-  
cerpenda varii sunt hominum passus, alias sic  
alias sic ibat notavit pridem divus Aurelius  
Augustinus. Maturius certo e typo prodi-  
fent, ut petiere quidam & enixe quidem, nisi  
variae rerum circumstantiae, & inter has Au-  
toris paralyisis remoram objecissent. A Plu-  
rimum Reverendo, & Eximio Domino Nico-  
lao Balthasaro Waldvogel, Decano ruralis Ca-  
pituli

## *Paucula Lectori.*

pituli Biberacensis meritissimo Zelosissimo vo-  
cati ista prælegimus in Sacro Triduo. Sub-  
scripsimus votis libentissime & pro modulo  
conati sumus, ut Sacerdotibus persuadere-  
mus, quid Deo, quid sibi, quid proximo de-  
beant. At enim vernaçula seu teutonica om-  
nia pronuntiavimus, in Latii tamen idioma  
ideo postmodum traduximus, ut Laicos late-  
rent Clericorum obligationes pressius dictæ,  
ne exinde criseos suæ malignæ patientur  
auxeseret, & fannas. Arena Sacri tridui erat  
Chorus Venerabilium P. P. Capucinorum,  
quem lubens concesserat R. P. Leodegarius  
ex Weilerstatt tunc temporis Quardianus vir  
humanus probe. Secedentibus in Venerabi-  
lem concessum Curionibus & Cappellaniis ho-  
ra octava matutina primordia Exercitiorum  
siebant modo consueto usque ad undecimam.  
Ad mensulam frugalem concedebatur poste  
in triclinio P. P. Capucinorum, qui in subur-  
bio Biberaci morantur viri Zelotes, ubi pran-  
sum sub silentio & lectione Spirituali, ut &  
mentibus suum obtingeret obsonium salutare.  
**Lectorem mensæ egit R. P. Lector loci, post-**  
men-

*Paucula Lectori.*

mensulam concedebatur recreatio horaria in hortulo. Postmodum hora prima horis pomeridiis assignabatur denuo Exercitatio Spiritus usque ad quintam. Plerique sub vesperam modestissime concedebant domum reddituri in crastinum sub aurorae lucem. Et sic Sacrum triduum concludebatur omnium solatio, ut sancte assévero. Quæ in eo tractata sunt benevole hic leges, nota tamen ut Sphalmatis parcas, quæ irrepsero typo. A quo auctor, ut corrigeret ipse tantum absfuit. Vale, lege, & fave. Succedent proxime plura, quæ solatio Cleri commoda ministrabunt plura favente misello mihi Lucina.



## C O N S P E C T U S T I T U L O R U M .

Allocutio præliminaris ad D. D. Exercitantes.

### T H E M A.

*Venite seorsum in desertum locum, & requiescite.*  
Marc. 6. pag. 1

|                              |    |
|------------------------------|----|
| I. Sacri Tridui Utilitas.    | 7  |
| II. Sacri Tridui Necessitas. | 12 |

### P R I M Æ D I E I

#### M E D I T A T I O I .

Negotium Sacerdotis primum, cura prima Amor Dei. 24

I. Sacerdos præ aliis, ut Deum diligat, vocatur. 26

II. Sacerdos præ aliis, ut Deum diligat, a gratiarum abundantia monetur. 32

III. Sacerdos præ aliis Deum diligat, qui præ aliis Christi Exemplum sequi teneatur. 39

Colloquium. 43

Reflexio. 46

#### M E D I T A T I O I I .

##### P O M E R I D I A N A P R I M Æ D I E I .

Sacerdos præ aliis constitutus est, pro Honoris Divini Exaltatione. 48

I. Sa-

CON-

## *Conspctus Titulorum.*

|  |         |
|--|---------|
| I. Sacerdos præ aliis ordinatus est, ut Regnum peccati evertat.  | pag. 50 |
| II. Sacerdos præ aliis obstringitur, ut ampliet Regnum virtutis. | 57      |
| III. Sacerdos præ aliis obligatur ad Regni Ecclesiæ defensionem. | 62      |
| Colloquium.  | 68      |
| Reflexio.  | 70      |

## DIES SECUNDA.

Negotium Sacerdotis secundum salus propria.

### M E D I T A T I O I.

#### ANTEMERIDIANA.

|   |    |
|---|----|
| Sacerdos præ aliis, ut bene vitam instituat, tenuit.  | 73 |
| I. Sacerdotem, ut vitam agat probam, multum juvat dignitatis suæ contemplatio.                              | 75 |
| II. Sacerdos præ aliis, ut bene vivat, bene tempore utatur.   | 80 |
| III. Sacerdos præ aliis bene vivat, animaque salutem curet suæ, qui præ aliis remedia bene vivendi accepit. | 85 |
| Colloquium.   | 93 |
| Reflexio.   | 95 |

### M E D I T A T I O II.

#### POMERIDIANA SECUNDÆ DIEI.

|  |     |
|--|-----|
| Sacerdos præ aliis cures, ut bene moriatur.                            | 97  |
| I. Sacerdos, ut bene moriatur, præ aliis expeditior mundum resinquat.  | 98  |
| II. Sacerdos præ aliis honæ morti operum bonorum farragine prospiciat. | 105 |

III. Sa-

## *Conspctus Titulorum.*

|   |          |
|---|----------|
| III. Sacerdos præ aliis bene mori contendat, ut spe mercedis se possit consolari. | pag. 110 |
| Colloquium.   | 116      |
| Reflexio.   | 118      |

## D I E S T E R T I A.

Negotium Sacerdotis tertium Salus proximi.

### M E D I T A T I O I.

#### ANTEMERIDIANA.

|   |     |
|---|-----|
| Sacerdos præ aliis proximo prodefße debet Doctrina.         | 119 |
| I. Sacerdos præ aliis parvulos instruat.                    | 121 |
| II. Sacerdos præ aliis adultos doceat.                      | 127 |
| III. Sacerdos præ aliis ægris doctrinæ adsit, & moribundis. | 134 |
| Colloquium.   | 139 |
| Reflexio.   | 141 |

### M E D I T A T I O II.


#### POMERIDIANA TERTIÆ DIEI.

|  |     |
|--|-----|
| Sacerdos præ aliis proximo debet bonam sui famam.                    | 143 |
| I. Sacerdos præ aliis habeat Charitatis testimoniūm.                 | 145 |
| II. Sacerdos præ aliis Mortificationis studio spectabilem se faciat. | 150 |
| III. Sacerdos præ aliis proximo singularis Castitatis famam debet.   | 154 |
| Colloquium.  | 160 |
| Reflexio.  | 162 |

PROLO-

*Conspicuus Titulorum.*

|  |          |
|--|----------|
| PROLOQUIUM I.  |          |
| Ante Meditationem secundam primæ Diei,<br><i>De Sacrificio Missæ tremendo.</i>         | pag. 164 |
| PROLOQUIUM II.   |          |
| Ante Meditationem antemeridianam secun-<br>dæ Diei.<br><i>De Horis canonicis.</i>      | 177      |
| PROLOQUIUM III.  |          |
| Ante Meditationem pomeridianam secun-<br>dæ Diei.<br><i>De Distributione temporis.</i> | 189      |
| PROLOQUIUM IV.   |          |
| Ante Meditationem antemeridianam ter-<br>tiae Diei.<br><i>De Selectu librorum.</i>     | 198      |
| PROLOQUIUM V.  |          |
| Ante Meditationem secundam Diei tertiae.<br><i>De Residentia Parochorum.</i>           | 205      |



ALLOCUTIO  
PRÆLIMINARIS

AD  
D. D. EXERCITANTES.

PLURIMUM REVERENDI, EXIMII,  
CLARISSIMI, AC DOCTISSIMI  
DOMINI, DOMINI

CAPITULARES  
VENERABILES SACERDOTES!

THEMA.

*Venite seorsum in desertum locum & requiescite  
pusillum.* Marc. 6.

**Q**uae maxime cor divinissimum Salva-  
toris angebat cura, dum triennio in-  
tegro suum promulgaverat Evange-  
lium, ea plane fuit, ut duodecim, quos in  
æternarum veritatum Præcones assumpserat,

P. SAILER TRIB. SAC.

A

&

& Apostolos, ad felicissimum vocationis tam sublimis, & almæ probe instrueret comple-  
mentum. E sinu æterni Patris sui orbem in-  
gressus, & nobilissimo caractere Sacerdotis  
secundum ordinem Melchisedech insignitus  
nullum alium Missionis suæ præfixit scopum,  
finem alium nullum, quam ut humanum de  
perditione redimeret genus, Filios Adæ Iræ  
divinæ obnoxios Genitori suo offenso reconci-  
liaret, gratiæ fædus conderet, coelestis do-  
ctrinæ suæ annuntiaret dogmata, &, ut suc-  
cincte multa, & amplissima compendiem,  
*Pastorem, Parochum, animarum Curatorem age-*  
ret & *Sacerdotem sumnum ex affe.*

Nihil functioni suæ deesse passus est Do-  
minus Jesus, propriam Ejusdem audite con-  
fessionem, notate verba. Venerabiles Sacer-  
dotes! notate, inquam, qua animositate, qua  
animi sui magnitudine, quam cordate Patri  
suo loquatur in cænaculo: *opus consummavi,*  
*quod dedisti mihi, ut faciam.* (a) amabo! Vo-  
ceme alia locutus est, verbisne aliis, dum  
moreretur in patibulo orbis totius Parochus?  
clamantem audite, & quidem clamore vali-  
do: *consummatum est.* Ecce autem tanto ni-  
su, conatu tanto vociferabatur Dominus? ut  
sciretur pâssim, se pro animarum cura adim-  
plesse omnia, officioque suo a Patre sibi com-  
misso reapse ita perfunctum esse, ut a se de-  
siderari passus nihil omnino fuerit.

Quis

(a) Joan. 17.

Quis vero in mentem inducat suam, ut in  
morte Paftoris officium dimisile Christum pu-  
tet? absit, ut hoc autememus Venerabiles Viri!  
Exiens enim ex hoc mundo ad Patrem gre-  
gis sui charissimi custodiam, iis concredit di-  
stricte, quos a pifcatorum retibus ad Sacer-  
dotii extulit apicem, & Apostolos nominavit.  
Attamen qua doctrina eos ex alto non im-  
buit, qua solertia eos non excoluit, qua sedu-  
litate eos non instruxit, ut officii sui paftora-  
lis agnoscerent celſitudinem, & ad amissim  
illud complerent. Misit enimvero eos binos,  
& binos ante faciem suam in omnem Palæ-  
stinæ regionem, dum ipfemet adhuc vixe-  
rat, ut docerent rudes, & catechizarent my-  
steriorum fuorum ignaros: re perfecta facti  
reduces rationem laboris Apostolici, & Pa-  
fstoralis operæ exponebant, Christo volente  
accepturi, quid porro agerent, mandata nova,  
Episcopi summi animarum nostrarum, ut a  
primo suo in terris Vicario nominatus est Sal-  
uator jure optimo (b).

Quo autem solatio fuftentabatur sanctissi-  
mum Jesu pectus, ubi discipulorum fuorum  
in negotio tam salutari perspexit industriam,  
agnovit studium? in eo certe singulariter  
erat nullo non tempore, ut post labores fan-  
ctos eos vel in montem, vel in desertum fe-  
cum itare cogeret, quo Spiritus proprii re-  
collectione, rerum cælestium meditatione, a

mun-

(b) 1. Petri 2.

A 2

## 4 Allocutio præliminaris.

mundo separati, suomet invigilarent emolumen-  
to, ne aliis profecturi, animæ propriæ obli-  
viscerentur, &, cum aliis prædicassent, ipsi  
efficerentur reprobi.

Huic, quod dixi, suffragatur apprime Mar-  
ci testimonium: *Convenientes Apostoli ad Je-  
sum renuntiaverunt ei omnia, quæ fecerant, &  
docuerant.* (c) Differebant profuse de exantla-  
ta in ejusdem Evangelio opera, narrabant mi-  
ra, quæ patrassent, & missionis suæ historiam  
texebant satis amplam. Quid vero subin do-  
minus? quid immediate posthac? notate, si-  
ne mora, ambasibus sine, quid vellet, expo-  
nit: *venite seorsum in desertum locum, & re-  
quiescite pusillum.* O! Egregiam summi pasto-  
ris fuorum curam! o! admirandam sollicitudinem!  
revocantur a labore, ut quiescant,  
distinentur a functione, ut mentem levocent  
ad alia. Et ne otium hoc corporis membro-  
rumque fuisse putetis, scitote, animæ fuit, ut  
num omnia perfecissent bene, num omisissent  
nihil, exactius pensitarent, & novo Spiritus  
fervore ad ulteriora properarent, quæ voca-  
tionis suæ ratio ab illis exigeret. Ita est:  
*Venite seorsum in desertum locum, & requiesci-  
te pusillum.* Quis vobis sensus *Venerabiles Vi-  
ri!* quæ cordium dulcedo, dum mellea hæc  
vocantis suos Domini paululum degustatis  
verbula.

Plu-

(c), Marc. 6.<sup>2</sup>

## Allocutio præliminaris.

5

Plurimum Reverendi, Exilmii, ac doctissi-  
mi Domini! vocationis meæmet Fratres!  
Compastores gregis dominici in Ecclesiæ San-  
ctæ Viretæ! Capitulares dignissimi, membra  
Electa Venerabilis prorsus cætus vestri! Ec-  
quid rerum vos huc movit? quid ædes ve-  
stras, gregem vestrum tantisper relinquere  
suaviter compulit? quæ ratio vos in selectissima  
hac Seraphici Affiliatis Alvernia congre-  
gavit in unum? Scio, & erit, ut fateamini;  
icio, a Jesu vocati estis, cujus vice in terra  
fungimini, & commisso vobis Apostolatu. Hic  
enimvero de propria vestra salute anxius per  
Encyclicas Zelosissimi Domini Decani Vestri  
vos accivit: *Venite seorsum in desertum locum,*  
*& requiescite pusillum.* Et quamvis hæc ipse ini-  
bi non legerentur Syllabæ, unus, idemque  
tamen scopus convocatoris inerat litteris, ut  
pro vestrimet Spiritus profectu paululum a  
mundo segregemini, & Sacri tridui delibatio-  
ne in vos descenderetis, vos ipsos visuri, quo in  
terum situ seu vocationis vestræ ratio, seu  
animarum vestrarum status, seu alienæ salu-  
tis cura revera versentur.

Non dubito equidem, nec angor magnopere,  
vos revera de laborum vestrorum fructu cen-  
tuplo, de zeli vestri Apostolici sancta usura,  
de doctrinæ vestræ messe opima Christo refer-  
re posse satis multa; non sum in ambiguo,  
quin veritate patrocinante eximia Pastoratus  
vestri merita in medium adducere valeatis,  
A 3 ut

*Allocutio præliminaris.*

ut supremo Pastori insigne faciatis beneplacitum. Verum enimvero alia modo a vobis desiderantur, ab opera ad quietem, a piscatorum scapha in ripam, a messe ad falcipendia, ab opilionum cura ad tranquillum vocamini, citamini in solitudinem: *venite seorsum in deserto locum, & requiescite pusillum.*

O! pretiosa temporis momenta! o! aureas facrorum Exercitiorum horas! o! Triduum salutare prorsus, & proficuum! Felices vos, qui rerum tantarum intuitu estis corram, *Venerabiles Viri!* quis ambigat, vos lumbentissime omnino voluntati, & sententiae Clarissimi Domini Decani subscriptissae, quin coactio vel metus annutum extorserint vestrum. Meliora mihi persuadet optima mentium yestrarum ratio. Credo; anhelastis ipsimet, ut sacri Tridui tempus votis vestris succederet propediem, cum ejusdem & *utilitas*, & *necessitas* vobis tam perspicuae essent. Parum ego proin laboris impendendum mihi video, qui tam feliciter vos invenio omni ex parte paratos: auspicatum sane res finem nanciscetur *Venerabiles Viri!* bene sentitis etenim, & recte cogitatis Exercitia sacra sacerdoti

Primo esse *utilia*

Secundo *necessaria*.

Sentitis perbene, Deum testor! cogitatis recte & ad amussim; nec, quæ meliora loquar, & vestræ sententiae contentanea magis, reperio.

*Allocutio præliminaris.*

perio. Ut de utraque sacri tridui nota ad vos verba paulo ampliora faciam, Spiritus Sancti opem, patientiam vestram imploro.

## I.

*Sacri Tridui utilitas.*

**H**omini, quacunque in vitæ conditione vivat, nisi omnium levissimus sit, amorem sui innatum esse, nemo facile ibit inficias; & hujus quidem passionis motum tunc persentiscet maxime, ubi de commodi temporalis, & emolumenti, licet transitorii, agitur lucro: adeo gliscit in mortalium animis acquirendi ardor, cupidæque mentis effervescentia, ut diesque noctesque pro possessionum augmendo insummantur, & nullus non moveatur lapis, quo bonorum prospiciatur acremento.

Esto deficere nihil Vitæ commodius agehædæ; esto, abundare omnia, & deesse nec quidquam: siet tamen, ut rerum porro capeſſendarum studium quiescat nunquam, & tota in earum accumulationem fese impendat cogitatio. Mercatorem considerate, *Venerabiles Viri!* amplio commercio irretitum, cujus tabernæ cryptæque rebus abundant omnibus, cuius in vasto rerum promptuario gazæ Indorum proſtant, Sabæorum opes, Arabumque divitiae: qui ubique sustinet, ac tuetur fidei suæ expectationem, & mercaturæ suæ provide prudenterque, ne sequiora patiatur, vi-

gili subservit obtutu. Nullis is premitur necessitatis angustiis; felix vivit cum conjugi lectissima, prolibusque opipare a se pastis: vivit ipse erectissime, quin habeat, unde de penuria metuat sibi, vel de intercludendo ab hostibus commeatu. Verum quae causa subest, *Venerabiles Viri!* cur ædes suas relinquat toties? cur domi suæ se continere nesciat? cur spatio transfretet maria? cur ad remotiores nundinas, & dissita emporia presiciscatur per tot viarum, & discriminum injurias? cur plurium annorum curriculo domo absit sua? cur auri, argenteique copiam ad censuum lucra anqua non elocet, vixturus domi suæ quietior? cur otii osor turbas amet, laborum saturt nunquam? Nunquid utilitate rerumque suarum profectu excitus duntaxat, non necessitate adactus, aggreditur omnia, & patriæ suæ a finibus longe solum commodum auri fame accensus præstolatur.

Quid jam dicendum, ubi res nosmetipso concernit *Venerabiles Viri!* ubi de sancto amore Sui verba facienda sunt, quo homo quis salutis æternæ, animæ propriæ, & vitæ sanctius, & perfectius instituendæ admonetur, quo ad altiora cogitamenta, ad dispiciendas penitus veritates æternas, ad contemplanda cœli mysteria exaltatur? quam prompte, citoque relinquit omnia sæculi impedimenta? quam leviter a se amovet, quod alias justo vinculo adnexum habet sibi? quam ve-

loci-

lociter extricat se a negotiis quibuslibet, salutis æternæ opus grande habituras pro objecto? quam servide alas scapulis optat suis, ut perniciose a sæculi tumultu avelet in angelum, ubi, et si graviore non mordeatur noxa, in animæ suæ curam, in vitæ discutiendas rationes, in utilitates Spiritus proprii incumbat solertius. Suspiria gementis audite, quæ ex ejusdem pectori, ut olim Exercitantis Regii, prorumpunt: *Quis dabit mihi pennas sicut columba, & volabo, & requiescam.* (d) Quo solatio delibutus invento, qui recollectionis Sacrae negotio faveat, mox exclamat altum cum eodem psalte coronato? *Ecce! elongavi fugiens, & mansi in solitudine.* (e) Quo æstu pectusculum ejus non succenditur, ubi opportuna Deo soli colloquendi se offert occasio, qua energia fatetur denuo cum Davide? *Expectabam cum, qui salvum me fecit a pusillanimitate Spiritus, & tempestate;* (f) & nonne utilitate animæ suæ motus tantum effatur haec omnia justus, & æquus salutis propriæ feliçissimusque cœstimator.

Quid videatur vobis de iis, quæ in testimonia verborum meorum mox citabo, *Venerabiles Viri!* candide aperite: fateamini sincere. Ecquid Ignatium Loyolam, Virum aceseos expertissimum, animæ suæ maxime invi-

(d) Psalm. 54. (e) Ibid. (f) Ibid.

invigilantem, virtutis studiosissimum aliunde in spelæum Maurescum compulit? Ecur Franciscus Assisas in interiora montium Alviniæ penetrat? tot Sanctitatis radiis jam conspicuus? qua de causa Carolum, Borromæorum stirpis jubar, & Sanctorum Antistitum vere prototypum, Mediolano suo exire, pastorales Archiepiscopii sui curas relinquere videtis, ut in montis Varalli fastigio a mundo remotior, sanctæ mentis suæ, prorsus illibatae, quieti impensius indulgeret?

Etsi sensa expectem vestra *Venerabiles Viri!* & ut ea divulgetis, paratos vos videam: verbis parcendum esse tamen puto, cum constet omnino, Viros hosce tam præclaros, tam sanctos solitudinis facerrimæ eam ob causam solum flagrasse studio, ut salutis suæ ampliori prospicerent utilitati, invigilarent commodis. Callebant enim proba illa Magni & veterani in asceſeos Schola Diadochi verba: *omnibus modus utilis est secessus a mundo.* (g) Sciebant, quid de solitudine Magnus sentiret Aurelius Augustinus, cuius verba subjungo: *Conveniens est desertum saluti, ubi non est Eva quæ persuadat, nec mulier, quæ blandiatur.* (h). Et alibi: *difficile est in turba videre Christum, solitudo quædam necessaria est menti nostræ: quædam solitudine intentionis videtur Deus. Turba*

ſtre-

(g) Libr. de perfect. Spirituali.

(h) Serm. x. Fer. 4. post Dom. 2. Quadragesimæ.

*ſtrepitum habet: visio ista secretum desiderat.* (i) Intelligebant perbene Angelici doctoris bellissimam de sacra Solitudine notam: *O! quam salubre, quam suave, & jucundum est sedere in solitudine: loqui cum Deo, ac frui solo summo bono, in quo sunt omnia bona.* (k)

Nec putetis *Venerabilis Viri!* apposite hæc tantum de Anachoretis Thebaidis, & Nitriæ, de Eremitis Palæstinæ, & Carmeli dici posse. Solitudini qualicunque optime congruunt, etsi in eam aliquantulum tantum a mundo secedatur. Huic etenim tridui ſpatio ſolummodo definitæ docte adaptantur Patrum syllabæ, & quamvis curta fit, utilitate ſua non carere veriſſime asſeveratur.

Facile, quin mè urgeatis, crediderim, nec iſto egere vos mentis ſecessu. Affentior ſine contrarii metu, vos in studio virtutum indeſſe currere, gregibus vestris fal doctrinæ orthodoxæ, & ſuccofum probatissimi Exempli pabulum Vos ministrare. Aſtimō, vos in Cathedræ Heroes, in poenitentiaē cancellis probifſimos Judices, in ara Eucharistica incontaminatos effe Sacerdotes. Conſido, ægros a vobis ſolamen, moribundos ſubſidium, parvulos panem, adultos cibum obtinere ſolidiſſimum, paucis, de perfectiſſimo vocationis veſtræ

(i) Tract. 17. ſup. Joann.

(k) in Soliloq. animæ Cap. 9.

*Allocutio præliminaris.*

vestræ complemento securus vivo, & indubius. Quidquid hortum tamen sit, Eximiam facri tridui, sanctæ Solitudinis, & Deserti affecti utilitatem vobis habebitis plane perspectam. Taceo de intima mentis dulcedine, quam degustabitis. De desideriis sanctis venturis defuper fileo, de Meditationum Sanctorum melle plura loqui supersedeo: hoc tamen in dubium vocabitis nullum, pias Sacri Tridui Exercitationes, utut breviculae erunt, utiles vobis futuras esse certissime, quo Fervor Apostolicus vester magis incalescat, & Zelus lucrandi animas augeatur. Huc collimant verba Domini: *Venite seorsum in desertum locum, & requiescite pusillum.*

Quid autem, *Venerabiles Viri!* quid, inquam, a vobis objiciendum mihi possem metuere? qua fugillatione a vobis vapularem, & qua censura? Si Tridui Sacri horulas non modo utiles, sed & necessarias esse cordatus sustinerem? concedite, ut hujus asserti tentamen faciam, & de Sacrorum Exercitorum planissima necessitate paulo strictius loquar. Concedite.

## II.

*Sacri Tridui necessitas.*

Dalpitat in sicco piscis, tabescit, moritur destitutus humido, nisi de ripa in stagnum vel profluentem desiliat. Hebescit oculus aqui-

aquilæ, ubi per nubium densa ad solis obtutum pervolare ipsi non fuerit concessum; Cervus ipse, utut robore gaudeat suo, & viribus, languorem patitur, nisi inter montium juga fonticulum attingat, quo extinguat sitim; sed & nec homo, Sacerdos præcipus, facile vitabit pericula, nisi e mundi tumultu pedem subin efferat, mentem ad Deum extollat suam, Sacrae Solitudinis quietem desideret, ubi, ut Osee utar verbis, divini Pnevmatis audiat Invitatorium: *Ecce! lastabo eam, & ducam in solitudinem, & loquar ad cor ejus.* (1)

Adumbratam Sacri Tridui *necessitatem* in Symbolis cernitis quidem: ut tamen etiam pressius de illa vobis loquar, & fundatius finite *Venerabiles Viri!*

Ea semper fuit mundi hujus in maligno positi nequitia, ut civibus ipsius incolis venefica arte, qua pollet maxime, potissimum dominetur, illique plane monstra sint, qui immaculatos se conservant ab hoc Sæculo. Hallucinaretur utique, qui abnueret, degere in illo adhuc quospiam Virtutis studiosos, pietatis Sectatores; sunt enim hodie dum non pauci, qui ambulant in viis Domini, quibus fine orbis hujus machina conflagrasset cum Sodoma jam dudum, vel Suffocationem passa esset in Cataclysmo. Qua *necessitate* au-

---

(1) Osee 2.

tem hi mox dicti, justorum e numero & grege parvo, non adiunguntur, ut cautela maxima provideant sibi, ne a mundi principiis pestilens contaminentur, implicentur noxis, toxicis pestifero inficiantur, atque illæsi serventur a Cicuta Sæculi.

Qua ratione sustineatur, arcam natatilem Noemo *utilem* tantum fuisse, non *necessariam*, cuius ope octonas generis humani diluvio submersi reliquias velificante Numinis providentia eduxit in littus? quis afferere ausit, *utilitatem* non *necessitatem* fuisse Moysi, ut e regno Ægypti in Chanaanitidem electum educeret populum, ne ab idolorum aris fascinatus a cultu veri Dei abduceretur? & nunquid *necessitate* consulente Idem ipse Israelis Dux Sacerdotes Levitasque Domini a tentoriis rebellantis Core procul amovere debuit, quæ terra aperta in voragine, castigante coelo, ceu Bolos in inferis mortuorum devoravit. *Separamini de medio congregationis hujus.* (m)

Hæc enim vero verba ipsissima nobis inter Sæculi cives commorantibus saepius insursum salutis nostræ cupidissimum Numen: *Separamini de medio congregationis hujus*, tum præcipue, cum in sacræ solitudinis vocamur angulum, in quem actutum concessimus *Venerabiles Sacerdotes!* & revera acrius impellen-

(m) Num. 6.

lentia, non consulentia sunt tantummodo. Admonemur etenim *necessitatis* ipsiusmet, ne cum hoc mundo damnemur, cuius sumus Incolæ. *Separamini de medio congregationis hujus.* Nullum equidem nos urget mandatum, ut e mundo exeamus penitus; ut ejusdem prorsus omnem devitemus consuetudinem, qui in illo prædicare Evangelium, eundem congrua Sacerdotibus Vita, optimorumque morum Exemplo ædificare, Religionis, tempisque sarta testa conservare tenemur. Securos tamen vos reddo *Venerabiles Viri!* non vocamini in antra Nitriæ, in Thebaidis Spelæa, in antra Lybiæ, in horridos squalentesque deserti specus; nequaquam. In locum hunc, qui modo vos concludit, pietatis virorum religiosorum suffitu vos recreat, Religionis mænitate vos allicit, vocamini tantum, ut, & *pulillum* equidem, in animarum vestrarum folamen mellifluum ibidem conquiescatis.

Compertum est, nos, quotquot sumus, a mundi contubernio discedere haud posse, et si, sicut Apostolis suis Elogium texuit Salvator: *Vos de mundo non esis:* (n) de mundo esse nobis non sit concessum. Greges nostri, quibus præsumus, non in aviis Eremi, sed in Mundo pabulantur, ubi & opilionibus degendum est. At quæ deformis, quæ tetra hujus mundi facies? illa præcipue, quam ho-

(n) Rom. 8.

diedum oculis nostris conspicamur: in cuius campestribus pro ovicularum nostrarum custodia tabernacula pastorum figimus. Haud a me exigetis, ut prolixius in mundi moderni tam depravati excurram commentarium. Mundi dico, ubi memoria altissimi in plurimorum mente jam disparuit. Mundi dico, ubi inter indifferentiarum cætus de jure Domini rerum suarum tam solliciti disputatur. Mundi dico: ubi providentia Numinis vel acutissimis limitibus circumscribitur, vel penitus abrogatur. Mundi dico, ubi acutissimo omnisci oculo caligo assingitur propudiosissima. Noscitis probe, quin multis exaggerem, quantum hodie amplientur conscientiae, æternarum veritatum pondere diminuto, criminum majorum futurae receptacula. Mores eorum qui per Baptismi Januam intrarunt in Ecclesiam, ab illis primi ævi horrendum distare cernitis. In cineres tepidissimos desit facerimus amoris Dei, proximique focus. Preium amisit suum Religio, tot annis fæculisque cruento Martyrum testimonio inter Tyrannorum furores propagata. Patrimonium Christi, gazophylacium Ecclesiæ vulturum unguibus iummo dilaceratur opprobrio. Sacerdotii & Regalis quidem, diminuitur authoritas. Et quid non audent in ejusdem jura clero-Martyres, in integros excrescentes Exercitus, ut facra omnia vel eant pessum, vel injurias patientur palmares. In pauca compilo omnia; nunquam fane malevoli ita excanduere in

San-

Sanctuarium, prout modo in mundo agitur in ejus ruinam, cogitaturque indies.

Conjicite proinde *Venerabiles Viri!* conjicite, num in sacri tridui desertum salubre nulla nos compellat *necessitas*, ut primo inquiramus omni solertia, an hoc aurum ipsum optimæ indolis depascente pulvere aspersi non simus, a quo teste Gregorio Magno *oportet etiam corda Religiosa sordescere.* (o) An lue hac Epidemica infecti aliquantis per non simus, Nos, qui mundi cives sumus, sacrati licet, & oleo uncti Sacerdotali. Quid? si in nos quidpiam transpirassent mali illorum mores, quibuscum incautius & minus solliciti conversamur in Sæculo? Quid? si sequiora inspirassent nobis petulca Schediasmata, illæ pestiferæ mundi deliciae, quas curiositate legimus noxia nimis. Quid? si in nos nimium arrogassent sibi dominatum passiones ex improvidentia nostra? Quid? si ex nimia in earum coercitione benignitate semper ferociores deliquissemus hastenus? Quid? si tepiditatis languore, sacerdotibus tam nocivo, pietatis solidæ neglectu, incauto cum Sæcularibus contubernio, ruissemus in pejus, cum scandalo manifesto eorum, quos regendos accepimus? quid si ita? *Venerabiles Viri!* qua, perpendite! qua, inquam, necessitate non premur, ut expurgiscamur quam-

(o) S. Gregor. M.

P. SAILER TRID. SAC.

quamprimum, redeamus ad nos, & Sacri Tridui adminiculo in meliores abeamus vias quantocius, nisi Rhomphæam vindicantis Dei in nos diu noctuque prospicientis ab alto velimus persentiscere.

Dixi jam, dictaque assevero iterum, me auctoritate vestrum omnino trahi, ne quid de mox relatis vel minimum suspicer, quo labeculam contraxissetis acutissimo oculo vix videndum. Reveror vos in confessu tam venerando. Verum enim vero alia nunquid impellit vos necessitas, ut in desertum concedatis lubentius? Et quam illam autumatis? sincere loquor, illa est, ut porro ab inquinamentis Sæculi, a mentis nostræ contagio, optimis sanctæ vitæ regulis instituti, vivamus immines, & immaculatos nosmet semper custodiamus ab hoc sæculo. (p) Ut curæ nostræ commissis provideamus alacrius, ne mundi moderni illuvie aspergantur. Ut duplicato zelo exeamus in castra, scuto Herorum armati ad debellandam hostium visibilium, & invisibilium nequitiam. Necessario miles exercetur in armis, dum bellum ingruit, sonat classicum, & hostium assultus prope sunt; nec minus necessario etiam pacis tempore omni militari disciplina erudiantur Strategi ad pugnam futuri capaces. Necessaria ægro pharmaca sunt, dum morbo pressus, & languore decumbit; & quis ea necessaria minus existimet, ut sanum fe

(p) Jacobi i.

fe quisque servet, & prospiciat valetudini graflante contagione? Huc enim vero prospexit Eminentissimi, & Reverendissimi Sacrae Romanæ Ecclesiæ Cardinalis, Celsissimi Ordinarii nostri prudentissima Sagacitas, & Episcopo congruens providentia, qua in prolixo, & ad diatribam Sanctæ Ascœeos elaborato Decreto tribus abhinc annis Sacrorum Exercitiorum usum Sacerdotibus inculcavit. Initium scitis saluberrimæ hujus, & vere Apostolicæ constitutionis: *Quæ sancta Mater nostra Ecclesia.* Ecquid verba illa: *Frequentior recollectio per obituana, aut triduana saltēm Sacra Exercitia.* Ecquid sonant? quo collimant preesse hæc dicta? Mandatum, non consilium sunt, cum ea Clericis Amplissimæ suæ Dioceœscos Sacram animi quietem necessariam prorsus exhibeant: et si macula eos dehonestet nulla, sed vocationis suæ probe memores, culpæ cuiuslibet sint plane Expertes. Quid porro, ut *necessitatem sacræ recollectionis vobis luctulentius commonestrem, afferam in medium?* scio: homines sæculi sunt, mundani, laici de vulgo, qui vos hac de re convincent plane. Videmus quotannis in Collegiis Patrum Societatis, quorum Parenti & Fundatori divo Ignatio plurimum debet Sacrorum exercitorum methodus, videmus, inquam, inibi Cives, opifices, imo de genere Nobilium non paucos Sancto per tridui Spatium vacare receſſui; dicitur negotiis vale, Pia instituitur congregatio, desertum cubilis Ascetici petitur, quo

ex ore experti æternarum veritatum magistri hauriantur salutifera morum, pietatisque dogmata. Et Sacerdotes, & Viri magnarum rerum arbitri, animarum Pastores, Ministri altaris Eucharistici, Apostolorum sequaces talia refugiant? frivolis de causis cuticulæ suæ amatores, sacrarum rerum tædio infecti, declinent a tam necessaria animarum suarum disquisitione? horrendum, ajo, nefandum, hoc effet Sacri Tridui fastidium.

Secedamus paulisper *Venerabiles Viri!* secedamus pro majore rei hujusce elucubratio-ne in divina Bibliorum folia. Ecce! fratres duo sunt, & germani, quos vobis produco coram. Ut eos noscatis ex nomine, Moyses, & Aaron nuncupantur passim, & palam. Ille, Moyses scilicet, homo erat de Sæculo, Dux Israelis per avia deviaque deserti Sinaitici. Aaron Sacerdotis obibat celissimum munus, indutus Ephod, mitra ornatus, & thuri-bulo, ordinatus solennissime in ministerium Sanctuarii. Proh! quale inter utrumque dis-crimen. Moyses Laicus eluctatur in montem Sina, Ejusque in Sacro cacumine non tridui tantum, sed quadraginta dierum insummit curriculum, colloquitur Deo, intelligit my-steria in sumante solitudine. Re peracta de-cessit, de Petre Sanctæ fastigio tabulas deca-logi portans, & jubare capitis duplo cornuum instar ornatus populo ostendit sese ita, ut in faciem ejus intendere auderet nemo. Nota-te

te Moysen hominem Laicum a sacro recessu reducem, sed & Aarone sacerdotem mox no-tetis velim. Quid ille? Aaron sacerdos quid? a felicissimo Numinis affatu, a monte Sancto procul, a sacro recessu factus longe, moratur in castris indomitæ plebis. Estur, mandu-catur, luditur; inter inconditos populi rumo-res, scurrarum choros inter, degit infelix My-sta. Metu impellente, respectu humano ad-actus, aureum conflat vitulum in Horeb, ut adorarent sculptile pessimi idololatræ, muta-rentque gloriam maximi Numinis in similitu-dinem juvenculi comedentis fænum. Vah portentum! Laicus radiis Sanctitatis coruf-cans e sacro recessu procedit, & sacerdos eun-dem devitans labe fordet, & scandalo. O! quantum Ecclesiæ accedit detrimentum, si laicos animæ suæ studiosius per Sacra Exer-citia invigilare cernimus, quam a Sacerdoti-bus expectamus. Ingenuit certe Magnum il-lud Parochorum, Sacerdotumque Exemplar Hyeronimus; verba gementis audite: *Ve-hementer Ecclesiam destruit, meliores esse laicos, quam Clericos.* (q)

Nolim tamen, ut de vobis *Venerabiles Vi-ri!* me differere credatis, qui optima de uno quoque vestrum sentio. Optime succedet mihi, ubi de necessitate Sacri tridui repetendi saepius assensum præbueritis mihi.

Faxim!

---

(q) S. Hieron. sup. Ep. ad Tit. c. 2.

Faxim! rem ipsam vestromet comprobatis specimine, in facrum desertum concedentes tam prompte, tam lubenter. Probatis utilitatem voce unanihi: necessitatem vobis perspectam habetis, & luculentam. Laudo vos: at in hoc non laudo, Suffragia vestra in me, hominem exsuccum, pro directoris munio collimas. Errasti, testor coelum, Errasti. Qualis sim, mihi conscius sum. Pumex aridus, nubes sine aqua, virgultum sine fructu. Abs palpo loquor. Desideriis tamen vestris facturus satis compareo. Deus, qui Saulem insiliente Spiritu aggregavit prophetis, Pastores de Anathot formavit in augures, Tar-sensem Saulum in vas electionis plasnavit. Deus, inquam, suppeditabit vires, & linguas infantium faciet esse disertas. Animæ mihi propriæ illectus commodo ea vobis exponam, quæ memet concernant. Ut superficia resecent, rei totius vobis Synoptica exhibeo lineamenta. Primum infummemus diem considerando ea, quæ Deo, secundum, quæ proximo, tertium, quæ nobismetipſis in officio pastorali, in augustissimo sacerdotii munere debemus. Eia! accingimini. Magnum res magna desiderat conatum. Nihil laboris relinquendum est nobis, ut videamus, quæ in nobis desiderentur, Deum, proximum, & nos-ipsos concernentia. Succedent certe optime conatus nostri, si, quam salubre, quam necefarium nobis sacrum triduum sit, concludamus, ratione monumentisque convicti. Salutis no-

stræ

stræ attingemus scopum; si mentis nostræ affectu moti, opus actutum aggrediamur alacres. Non deerit volentibus Sanctissimi Pnevmatis subsidium; non deerunt gratiae admiracula, sine quibus nihil est validum, nihil sanctum: imo poterit in nobis plurima Spiritus Domini in nos insiliens, ut mutemur in viros alios, & ut ea, quæ sunt Dei, Deo, quæ proximi, proximo, quæ nostrum, nobis tribuamus posthac majori conamine. Sacerrimis motibus vos agi in opus tam grande haud suspicor, sed sentio. Ut proin ab omni nos Expediamus mora *Venerabiles Viri!* ad ea penitus inspicienda, quæ maximo debemus Nutrimenti, proximiora occipienda jam sunt. *Venite seorsum in desertum locum, & requiescite pulsum.* Pro feliciore tamen rei successu unanimi voce invocemus Hymno Ecclesie Sanctæ Almi cordium Rectoris Sancti Spiritus juvamen flexo poplite.

*Hymnus:*

Veni Creator Spiritus! &amp;c.



PRIMÆ DIEI  
MEDITATIO I.

*Negotium Sacerdotis primum, cura pri-  
ma Amor Dei.*

I N D U C T I O.

**M**uneris, obligationisque in limine stamus, a quo declinare creaturæ concessum est nulli, quæ rationis capax est. Amor Dei optimi maximi mandatum est stringens omnes, quibus pro Fine primario scopoque præfixum est. In prima legis tabula tam graphicè illud scripsit digitus Dei, ut glossa non indigeat, vel dilucidatione ulla, in Deuteronomio repetitum severè. *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota fortitudine tua.* Eruntque verba hæc, quæ ego præcipio tibi hodie, in corde tuo — *& meditaberis in eis, sedens in domo tua, & ambulans in itinere, dormiens, atque consurgens, & ligabis ea quasi signum in manu tua, eruntque & movebuntur inter oculos tuos, scribesque ea in limine, & ostiis domus tuae.* (r) En! Sacerdos quam pathetice, & singulariter imperet amorem sui Amabilissimus Deus, quod aliis præceptis adeo annexum haud reperies. Et quidem, si hoc amoris Sanctissimi manda-

(r) Deut. 6.

tum inculcatur hominibus universis indiscriminatim, qua energia Sacerdos illud fibi nuncupatum non credat, qui præ aliis tot Funiculis Deo obstrictus est? ne dubitemus profecto, imo certum sit & irrefragabile, Sacerdotem quemcunque, utpote Unctum Domini, Altaris ministrum, Sacrarii, Templique Civem prorsus singularem, Mysteriorum dispensatorem, amoris divini præcepto teneri magis, stringi intensius, enixiusque affici. Causas inspiciamus, quæ hac de veritate nos plane convincant, moveantque ad amorem Domini corda, ut majori dilectionis flagrant incendio. Trifariam eas notemus, & quidem

*Primo. Vocationem,*

*Secundo. Gratiarum abundantiam,*

*Tertio. Exemplum Jesu genuinum Sacerdotis Formulare.*

**PRAELUDIUM I.** Accedamus summæ Divinitatis Throno, &, quantum finitur nobis, radios æternæ & infinitissimæ bonitatis contemplemur. Audiamus verba dulcissima inde Sacerdoti provenientia: *Diliges Dominum Deum ex toto corde, & ex tota anima tua, & ex tota fortitudine tua.*

**PRAELUDIUM II.** Explicemus Deo Latitudinem cordis nostri. Suspiremus affatim. O! Deus! perfectissime Deus! Ens amabilissi-

bilissimum, bona in se infinite continens omnia! O Deus optime! doce me, & rete, & semper amare te.

## I.

*Sacerdos præ aliis, ut Deum diligat,  
vocatur.*

Pars optima, & nobilissima hominis cor est, quantillum hoc sit, & vix milvo pro tenui pabulo sufficiat; - - - Ah! quam effictim illud sibi arrogat æquissimus rerum æstimator Deus. Audi potentis, & anhelantis, desiderantisque vocem: *Fili mi! præbe mihi cor tuum.* - - - (s) Salomon Regum sapientissimus ipse, dum sumptuosissima templi sui celebraret Encænia inter Thuris, Holocaustorumque suffitus pretiosius sciebat nihil, quod ab Israele offerretur Numini, ac cor hominis. Ex Augustissimo Regioque suggestu perorantem audite: *Sit cor nostrum perfectum cum domino Deo nostro, ut ambulemus in decretis ejus.* (t) - - - Nec ad plebem hæc dicta solum putetis a Principe pietatis, & Religionis æstu inter altarium incendia excandescente, sed Sacerdotibus eo efficacius intimabant ista, qui ad aras stantes immolabant victimas & adipes. - - Profecto Sacerdotis cor desideratur a Deo eo intensius, quo magis in dilectionis reconditorum, in tenerimam amoris aulam

evo-

evocatur, a rebus Sæculi alienum, facerri misque obsequiis duntaxat sacratum. - - - Sacerdos! *præbe mihi cor tuum* - - - *sit cor tuum perfectum cum Domino*, ut *ambules in decretis ejus*, quorum primum est: *diliges Dominum Deum tuum ex toto corde.* Extollamus mentem, animæque obtutum in coeli atria, ubi Deus choros inter angelicos in throno considet suo - - - aulæ suæ divinissimæ contemplenur Primates, splendidissimæ sedi diu noctuque assistentes, canentesque incessanter trisagion illud Sanctus, Sanctus, Sanctus - - Millia Millium apparent, uni amori ut vacent æviternum - - - ad hoc enim tantummodo vocati sunt Spiritus coelestes, ut ardentissimo charitatis igne æstuant in altissimi Majestatem, cessaturi nunquam - - Quam certa sunt ista, tam Luculentum est, Spiritus Cherubicos, Seraphicosque vocatione prorsus singulare amori divino esse deputatos præ aliis - - Proximi folio Domini adstant assiduo - - - Hierarchiæ Angelicæ Primores oculatissimi Divinitatis intuentur arcana & thesauros ineffabiles, ardenteque amoris Flamma incessibili - - - a Mundi sublunaris cura, nisi maximo urgente negotio, remoti, Statione sua excedunt nunquam, amori solummodo intensissimi, juxta thronum stantes semper - - - O! Felicissimam Seraphinorum, Cherubinorumque fortem; o! Vocationem Excellentem omnino; o! Negotium suavitate & gloria plenissimum. Relinquunt enimvero Thronis Re-

(s) Prov. 23.

(t) 3. Reg. 8.

Regum custodiam, Principatibus Monarcharum curam, Dominationibus Provinciarum tutelam, Potestatis Regnum Præsidia, Virtutibus cœlorum gyros, Angelis, & Archangelis hominum subsidia, solis dilectionis unius Studiis deputati. Etsi nec alii Beatissimi Spiritus Deum amare desinant, orbis adminicula curantes, almæque providentiae nutibus obtemperantes. -- Nunquid tamen Cherubicis Seraphicisque geniis ex in præeminentiam decrevit singularem Deus, quibus amoris officium decrevit præ aliis? -- revocemus ab Æthere gressum, reddituri ad mortallum cætum. Ecquid aliud in Ecclesiæ militantis Hierarchia appetet, quam statuum diversorum ordines. Quotquot inibi homines conspiciris, tot sibi injunctam esse sciunt legem primam tabulæ prime: *Diliges Dominum Deum ex toto corde tuo* -- a ratione insimul & Religione mandatum hoc docti sunt primo luminis intellectualis Catechismo, horrentque Anathema, non diligentibus austere interminatum: *qui non amat Dominum anathema sit, Maranatha.* -- (u) Quot vero notabimus in Laicis, etiam purpuratis, amoris sancti disturbia, quot remoras, quot impedimenta, dum a sacrario facti longe curis sæculi distenduntur? -- Videmus Magnates in bella proruere, Fædera pangere, Regnum gubernaculis infudare. Cernimus causidicos intra-

the-

(u) r. Corinth. x6.

themidis cancellos litium causas disquirere, jurium apices, Imperatorum leges explanare. Excurrunt Mercatores ad Lucra, tranant Freta, Indiarum opibus inhiant, auri Fame percití improba. Civis, & opifex Labori incumbunt suo pro Familiæ emolumento. Colonus aratro rus proscindit impigre, & pro segetum incremento gelu patitur, & solis faces. Absit, ut credamus, amori Dei ista adversari, quin persuasum nobis sit, ex rectæ intentionis norma amori ea consentanea esse. Attamen quam cito cor hominis delideris & negotiis Sæculi languescit, & deficit, quam sensim a dilectionis aberrat scopo ad terrestria inclinatum. Quam leviter obliviscitur creatoris sui mundi sordibus aspersum. -- Alia prorsus sublimiorque Sacerdotis sonat vocatio -- Sacrario, cultuique divino destinatur tantum -- Ipsi soli Datum est nosse mysteria Regni Dei -- Soli ipsi concessum, ut intret Sancta Sanctorum, segregatus a peccatoribus, & Extelior cœlis fastus (x) -- Sacerdoti soli mensa sternitur dietim Angelica, ut prunis Seraphicis Cherubicisque inflammetur in amoris divini incendia -- Soli ipsi pretiosa concurrunt temporis momenta, ut a sæculi conatabus liber, Meditationum precumque flabello excitet dilectionis faces -- Sacerdotis solius pectusculum in aram constructum est hac ex Levitico adscripta Epigraphe: *Ignis in alta-*

(x) Hebr. 7.

*altari semper ardebit, quem nutriet Sacerdos - - ignis est iste perpetuus, qui nunquam deficiet in altari.* (y) - - - Conjice Sacerdos! quam ad amandum Dominum Vocatus sis præ aliis, quam districte præ aliis amoris Lex incumbat tibi. - - - Roboremus solida per se satis expediente, & illiciente Evangelii monumento, quod Joannis testimonio dehemos. Apparens suis crebro post Anastasin dulcissimus Jesus ad mare Tiberiadis Petro Sacerdotium summum conferre animo complectebatur. Prandio absoluto in ripa res occipitur magna - - Vocabatur a piscatorum in Apostolos pridem assumptorum turba Simon, Pastoris summi accepturus pedum - - & quæ vocationis ad Apostolicum culmen fuisse præambula creditis? quale tentamen? Amoris tantum, cuius unice feria fit indagatio. Quærit & tertio quidem ex Petro Dominus, o! quam blande, quo verborum melle, qua vocis teneritudine? *Simon Joannis diligis me?* *Simon Joannis amas me?* *Simon Joannis diligis me plus his?* quid Petrus, cuius expectabatur Responsum. Quid? Li quefacta est anima Petri, dum dilectus locutus est - - - mentis Beatæ situm obortæ te stantur in genis venerandi senis Lacrymulæ, palpitat non timore sed amore percitum calvi Silicernionis corculum - - - loquitur & asseveranter, & cordate, & vere: *Etiam Domine! tu scis quia amo te;* *Domine! tu omnia no-*

*si,*

(y) Lev. 6.

*si, tu scis, quid amo te - - Interrogationi Trinæ Trinum reponitur amoris assertum, cui mox Trinum potestatis Sacerdotalis adnectitur Praemium: Pasce agnos meos, pasce agnos meos, pasce oves meas* (z) - - - Ubi sumus Sacerdotes Domini! collegæ Apostolici! anne præ admirationis dulcedine nostra non diffluunt pectora? anne lacrymas nobis non excitat mira Petri Vocatio? *Diligis me plus his?* - - Petræ sane simus, & marmoris Frusta, nisi collacrymemur Petro - - - Stipites simus, Brutal simus rationis Expertia, nisi & nostram vocationem comprehendamus in Stapede. Plus adstantibus num diligit Petrus, ex eo quæritur, non simplex ab eo desideratur, sed major amor ab ipso exquiritur, cui committerentur oves Dominicæ caulæ cum agnis - - - Fateare, & genuine, Sacerdos! Fateare, & sine mora, & intercapidine, an in Sacerdotii tui primordio, an in animarum curæ Lamine, an omni vix non die hæc in mentis tuæ penetrali hucusque non percepisti Verba Domini, dum sacris accedis, dum meditaris, dum saluti tuorum vacas: *diligis me plus his?* plus his, quos Laicos vides in Sæculo circumcursitare? plus his, quibus verba facis ex ambone? plus his, quibus Ecclesiæ confers mysteria? plus his, quos pedo Pastorali moderaris tuo? Verene, an mendaciter, ac dolose mentem contra tuam respondebis: *Do-*

*mine*

(z) Joan. 21.

*mine tu scis, quia amo te plus his.* Eo nunc deductus es, ut penitiore Examine scruteris cor tuum in Lucernis, num caleat amoris divini Foco Vocationi tuæ conformi? num maledictus tepor, languorque in officii tui partibus divinos non suffocarit igniculos? num sequiores creaturarum Favillæ ex putidis Sodomæ bustis illud non occuparint? num ex iis, quos Sancto amore deberes accendere, in eo te non antecellant plures? - - Væ! Sacerdotibus! qui, Sanctæ dilectionis scintillis destituti penitus, tabernaculo proprius adstare non reformidant, peccati constricti gelu, Angelorum inter ardores Domino sacrificare non verentur, thus adolescentes tabescunt tempore, rigent Frigore. Proh! Sacerdotem, qui Deum non amat præ aliis. - - - Quantum Monstrum, informe, ingens, cui lumen ademptum, ne vocationis suæ videat ductum, negligat complementum. Notentur Isidori Clari verba, quibus concludo: Nemo debet Sacerdos, & pastoris officium suscipere, qui Charitate cæteros nescit antecellere. (a) Mensis quieti indulgamus paulisper! - - -

## II.

*Sacerdos præ aliis, ut Deum diligat, a gratiarum abundantia monetur.*

**G**ratiarum mensuram, amorem dimetiri in Confesso est. - - - Beneficia, Privilegia Lin-

(a) Isid: Clar. in Ev. Joann.

Lingua dantis sunt eloquentissima, qua dilectionem pro retributione operose exposcit - - Sicut oleum Lampadem nutrit, ne extinguitur, sic amoris rogas benefactis, & favoribus servatur, ne flammis careat - - - terrimum ingratitudinis vitium, quidquid spurci habet, & detestabilis, soli gratiarum obliwioni debet. - - - *Dixeris maledicta cuncta, cum ingratum dixeris:* inter proverbia Senecæ legitur; nec gratiarum cumulo beatus, sed miser est, qui benefactori amoris reciproci differt, vel negat tributum. - - *Nemo est dominus Dei beatus, qui donanti non amando existit ingratus:* certissima Magni Aurelii Augustini verba sunt. (b) Nihil est, quod Deus, profusissimus gratiarum Fons, pius in omnes, bonorum omnium largitor, homini ingrato beneficiorum immemori vel acribus conscientiae aculeis in Vita, vel oculorum fulminibus de cruce in morte exprobret magis, quam spurcissimum ingratitudinis piaculum, juxta ac gratiarum exhibitarum cumuluni. Quem non percellat metus? cui pavor summus non insinuet se, qui improperia Israeli a Deo objecta in Deuteronomio legit, pensatque? dum tot Beneficiis cumulata plebs summa cordis petulantia derelinqueret Deum Factorem suum, eundem provocaret in diis alienis, immolare dæmoniis, & non Deo, oblivisceretur Domini Creatoris

(b) S. Aug. de bon. Vid.

P. SAILLER TRID. SAC.

toris sui. - - - Contremiscite, dum recito verba Domini, bona concessa, privilegia indulta, gratias datas desuper populo, in contumeliam dira cum exprobratione vertentis. Popule meus, quid feci tibi? aut in quo te contristavi? responde mihi - - Eduxi te per desertum quadraginta annis, & manna cibavi te, & introduxi te in terram satis bonam - - - quid ultra debui facere tibi, & non feci - - ego plantavi te vineam speciosissimam, & tu mihi facta es valde amara - - - Vah! terrificam gratiarum memoriam, cui amor reciprocus infelicissime non successit. Nec mitiora in Davidem cecidere exprobrationis fulgetra, ubi Bethsabeæ dementatus forma, pestifera adulterii Lue contaminasset se, haud amplius Vir secundum cor Dei, sed abominabile in oculis Domini Portentum, regii diadematis dedecus, scandalum Palæstinæ - - - Audite gratiarum Elenchum, quem per Prophetam ingrati objectat in faciem: Ego tuli te de pascuis sequentem greges, ut esses Dux - - - Fui tecum in omnibus, ubicumque ambulasti, & interfeci omnes inimicos tuos - - Feci tibi nomen grande juxta nomen magnorum in terra - - Sic enimvero exasperatum loquitur Numen iis, qui, munerum suorum Spretores inverecundi, amoris vestigial pendere fronte perficta recusant. Amor, Amor est, quem jure summo vendicat sibi redhostimentum. Et amabo! a quo, ut diligatur impenitus, amorem requirit Deus, quam a Sacerdo-

cerdote, in quèm, qualiscunque sit, opulentissimas e Gazophylacio suo profudit thesauros bonitatis suæ? - - - Non exprobrantis, sed commonefacentis duntaxat Domini audite voces, quas, nobis Sacrarii sui Ministris, hoc Sacri Tridui tempore blande insuurrat - - - audite, quæso, Sacerdotes! ut amore conflagretis una in Benefactorem summum, uniuscujusque nostrum refert, ut sibi dicta putet. *Eduxi te per desertum* - - Cruelis ex Egyp-to Sæculi, ubi jugum mundi pertasses grave, acerbum satis; ubi, diram passus servitutem, gemuisses sub Imperio vel austeri Domini, vel uxoris efferæ, & dominantis Fœmellæ - - - ubi rerum angustiis pressus vitam duxisses miseram. *Eduxi te* paterna manu ex Eremo in-via, & inaquosa, ex tot peccatorum periculorumque anfractibus, ubi forsan Pardis in prædam, in escam Tigribus, Leonibus eva-sisses in rapinam - - - Eduxi te de pulvere vitæ contemptibilis, de stiva, & aratro, de humili, & infima vulgi forte - - *Eduxi te* ex tot criminum spelæis, peccatorum antris, ubi animæ tuæ laqueos incurrisse inextricabiles. - - - *Eduxi te* de strepero mundi tumultu, de hominum Fallaciis, de Fluminibus Baby-lonis, in montem Sion, in terram satis bonam, melle fluentem & lacte, in felicissimum Sa-cerdotii Chanaan, patrimonio pascendum meo, si non opipare semper & laute, bene saltem, & congrue - - - *Manna cibavi te* omni die, volueris modo - - - confidere te feci quoti-

die ad Filiorum meorum mensam, ut panem comederes Angelorum, carnem gustares meam, sanguinemque meum biberes micraciflum - - *Ego plantavi te vineam meam speciosissimam*. Scholas aperui tibi, & Athenæa, ut animæ tuæ, proximique disceres salutaria, colligeresque pro te alisque uvas disciplinæ saluberrimæ - - *Ego tuli te de paucis*. Ego de cicutis mundi abstuli te in viridaria Sanctitatis, ut coeli pasccerere rore, virtutumque omnium herbis inter agnos meos - - - *ut essem Dux* - - - ut deduceres commissas tibi animas, meo redemptas sanguine, in prælium contra hostium, eas subvertere volentium, phalanges, ut præires exemplo, instrueres verbo, ne paterentur internecionem - - *Ego unxi te*. Recogita maximam illam diem, qua manu Episcopali oleo sacro delibutus Sacerdotali insignitus es dignitate, ut federes cum Principibus, & Solium teneres gloriæ in sacrario meo conspicuus - - - *Ego fui tecum in omnibus, ubi ambulasti*, - - Ex ocello meo dimisi te nunquam, tenui manum dextram tuam, ne offenderes ad lapidem pedem tuum, singulari angelorum custodiæ deputavi te, ne aberrares a via recta, Lumina gratiæ meæ vocantis, trahentis, adjuvantis, prævenientis, comitantis, subsequentis oriri feci super te in Seminario, in tyrocinio, dum veritates meditabare æternas, dum pensum recitares canonicum, dum stares ad altare meum in Functione sublimissima, dum folis vacares

afse-

asceticis - - - *Feci tibi nomen grande*. Impresso splendidissimo Sacerdotii Charactere dedi coronam capiti tuo, Ministri mei nomen Regium inscripsi. Fronti tue, etiam hostibus venerandum suis, ipsique Inferno terribile. *Quid potui tibi ultra facere, & non feci?* - - - Responde, Responde mihi Sacerdos! sed amore tantum, quem munificentissimo in te debes ex affe - - ah! amore, amore, quem a te affeetu reciproco expeto unice. Amorem solum, cor solum mihi dona, utpote gratitudinis tesseram optimam, quia *dilexi*, quia *eduxi*, quia *pavi*, quia *plantavi*, quia *unxi te* - - Hem Sacerdos! quis calor, qui ignes non occupent pectus tuum? Hæc dum Deus tibi revocat in mentem, objicit intellectui, explicat animæ - - Eritne', ut tepeas porro, ut frigescas posthac, nec totus in Dominum rapiaris? effene poterit, ut cum Sponsa in Canticis non fatearis ingenuus: *Animæ meæ liquefacta est, dum dilectus locutus est*? Ecquid linguae tuæ injiciat vinculum, ut cum Davide ex temetipso non perconteris Extemplo: *quid retribuam Domino pro omnibus, quæ retribuit mihi?* - - - Verum ne quæras velim; Amorem repende & indilate, Ferveat cor tuum, mens ardeat tota in Deum tam beneficium, tam largum, tam plium. Non diffiteor, Deum tum etiam Amorem hominis jure optimo arrogare sibi, cum punit, fulminat, ferit, parcissimaque bona in ipsum emittit manu; diligendus est, ut summum hominum in temetipso tum etiam, dum in Furore

C 3

ar-

arguit, & severe in ira corripit. Non abnuendum tamen autumo, benefactorum memoriam illicum amoris esse haud leve. Amandus est Deus, & amandus super omnia, cum Ens in omni perfectione infinite complectissimum sit. Ens omnipotens, immensum, omniscium, sapientissimum, immutabile, aeternum, optimum, clementissimum, justissimum, providentissimum, sanctissimumque sit - - - Hoc amore in cœlestibus occupantur Electi æviternum: hoc sanctificantur in terra mortales. Hoc in æstu residet omnis amoris, summaque perfectio. Verumtamen inficias ibit nemo, egregiam non minus a liberalitate Domini in cor humanum transpirari dilectionem. Contemplare gratiarum copiam, beneficiorum farraginem, prærogativarum ditissimam supellestilem, quæ in finum tuum tam abundanter, tam superflue dietim a coelo depluit - - - considera - - - meditare - - - pensa - - - quo sancti amoris deliquio non comprehendere abs mora? - - - qui dilectionis Igniculi præcordia non invadent tua? - - - quo Charitatis raptu non ascendes ad Deum tuum? - - - Hoc tibi nempe sufficiat, ut eum diligas præ aliis, qui præ aliis elegit, dilexit, gratisque dedit te. Nosce Sacerdos! tibique nota, quod gratitudinis apex amor fit. Ut verba conferam in compendium, Hugonis Cardinalis asserto claudio. *Beneficia Dei ex Fornace procedunt,*

dunt, quæ calefaciunt cor, & inflammant ad dilectionem (c).

## III.

*Sacerdos præ aliis Deum diligt, qui præ aliis Christi Exemplum sequi tenetur.*

Fallitur, qui amoris divini scintillas quærerit in Silice, aut ignis terrestris indagat Elemento - - - Conflagret mundus totus, pereant incendiis orbis plagæ; sanctæ dilectionis Favillas reperies nullibi. Deus Charitas est, Deus ignis est, a quo solo prospicunt in Hominis cor flammulæ dilectionis. De coelo Apostolorum vertici illapsæ sunt lingue, de cælo facta sunt corda eorum Flammantia - - - & nonne de se diserte testatus est unigenitus Dei Filius: *Ignem veni mittere in terras, & quid volo, nisi, ut accendatur?* (d) Audi asseverantem plura: Sic - - Sic - - Sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret - - - cur? ut disceret ab eo Mundus Deum diligere, Deum amare - - - ut iis Charitatis signaret normam præ aliis, qui præ aliis eum sequerentur pone; *Sacerdotes.* Et reapse vita Jesu aliud quam amor æterni Patris sui non fuit. Ab ortu vitæ in terris usque ad occasum in Crucis patibulo cordis divinissimi negotium extitit unum ardentissimum in Deum Patrem amor - - Nascitur in Bethlehe-

(c) Sup. Prov. c. 25.

(d) Luc. 12.

lehemii suburbio, in scetido bovili, furente bruma tenellus Puer, ut Patri amorem com monstret suum, subserbatque tot calamis, quot paleis, cuius iussa e sinu ejusdem in terras descenderat redempturus amissos Adæ nepotes. - - - Obedientia, quam in carne humana triginta trium annorum curriculo exhibuit genitori, amor erat defoecatissimus. - - Specimen insigne dilectionis divinissimi Patris in templo Jerosolymitano notate; Triduo a Virgine Matre, & a Nutritio Joseph quæsitus cum lacrymis, inter legis doctores considerans, aper te illud exhibit dicendo: *In his, quæ Patris mei sunt, oportet me esse;* insuper habens Matris alias amandissimæ suspiria, genitusque Josephi, cui addictus erat tenerime. - - - In domuncula Nazarena observeat Jesum amore Patris subditum hominibus, artem exercentem fabrilem, & mortaliu[m] vel nutib[us] obsequenter ad amissim. - - En! ut in deserto Quadragesima dierum spatio, nec gutta nec mica pastus, amoroſe Patri suo ſoli colloquitur, ardua prædicationis, & Redemptionis tractans negotia. - - - In cænaculo animadvertisit Je ſum, quo amoris æstu elevatis oculis in coelum ruat in amplexus Patris, Sacroſancta Eu chariftæ instituendo mysteria, in Paſſionis ſuæ acerbissimæ prodromum. - - - Cruenta ejusdem ſequimini vestigia, dum amarissimam paſſionis ſuæ Texeret Historiam funibus, catenarumque conſtrictus pondere, alapis ſaturatus & opprobriis, raptus ad tribunalia, impe-

titus

titus convitiis, Infami postpositus homicidæ, crucis prægravi oneratus trabe, spinis compunctus, flagellis discifus - - - nempe amo re Patris urgente haec fustulit libens omnia, hoc uno ſpirilio menti blandiens ſuæ: *Ita Pa ter, quoniam ſic placitum fuit ante te,* - - Amoris demum completam intuemini victimam - - Jesum cernite morientem, desolatum - - & amantem, & diligentem cernite - - Patri facturus fatis, ultima patitur, offerendo ſe pro mundi ſalute - - clamore valido Spiritum in manus commendat Patris - - moritur - - Exspirat amore carnifice in patibulum ſuffixus infame, in crucem elevatus maledictam a ſæculis, probrofiffimam. - - - Aperto latere, Longini confoſſo bipenni, cor' ſuum exhibit Patri, genuinam amoris ſedem - - His imme ritus amoris dominici Mysteriis in id ſe impen dit totum gentium Apostolus, ut fideles in Christum formarentur omnes; at quem latet fideliūm primos effe Sacerdotes? quis igno rat, eos ipſos in amore Dei cæteris in antefi gnanos effe vocatos? - - Erant Apostoli Sa cerdotes a Salvatore ipſo ordinati in cænaculo. Qua de re autem eosdem edocuit magis, quidve vehementius inculcabit iis? nil niſi amorem dixeris, non tantum, ut derivatur in proximum, ſed primitus ut collimat in Deum. Verbis Domini in testimonium utamur - - In amoris sancti Prototypum ſemet statuen do, ſic loquitur ad neo-Mystas primos novi Testamenti: *Manete in dilectione mea.* Si præcepta

cepta mea seruaveritis, manebitis in dilectione mea,  
sicut & ego patris mei præcepta servavi, & ma-  
neo in ejus dilectione. (e) Quid luculentius  
nostris illabitur oculis, quam Exemplum Jesu  
diligentis Patrem pro Sacerdotum instructio-  
ne prima duxisse lineamenta? Euge Sacer-  
dos! juxta Crucifixi te latus statuas velim - -  
amoris tui in Deum institue rationem, illum-  
que cum amore Christi in Patrem, qui adæ-  
quet, disquire accuratius! Itane, si verba at-  
tendas tua, de Deo loqueris? - - Itane laudis  
divinæ intonas præconia? Itane divinitatis  
extollis, & dilaudas attributa? Itane dicere  
cum Jesu sine fuko poteris: *Deus clarificatus*  
*est in me, vel per me,* prout Vatabli sonat trans-  
positio? Itane in precibus, in horis Canonicas,  
in meditatione exardescit ignis? Itane amo-  
ris in oblatione incruenti Sacrificii persentif-  
cis ardorem, qui pectus Christi in illa cruen-  
ta exusit Hostia? Nunc enimvero partium  
tuarum est, ut ista ferio expendas Sacerdos  
- - - Et certe in hoc præprimis desudarunt  
Apostoli Sacerdotes primi, ut corda ad Exem-  
plum Magistri sui in amore Dei conformarent  
sua. Hoc exciti amoris æstro transgredie-  
bantur muros, transfliebant obstacula, per-  
rumpebant aggeres, & nihil non audebant,  
quo Sacerdotis, & Apostolatus munia exer-  
cerent. - - - Hoc impellente vallibus æqua-  
bant montium juga, comminuebant Petras  
in

(e) Jean. 15.

in annuntiatione Evangelii obstantes fibi.  
- - Hoc urgente cursitabant in extimas orbis  
oras, ut a gentibus diligenter Deus, quem  
ignorabant. - - - Hoc animante confregere  
Idola, disjecere falsorum Numinum delubra,  
ut nosceretur, ut amaretur Jesus - - - Hoc  
eos stimulante objecere se periculis, intrusere  
tormentis, facti morte pro Christo lata Heroes  
cum trophyis. - - Pone Sacerdos! tibi spe-  
culam, pone amaritudines, si amantis Jesu  
hucusque non pressisti vestigia, si Exemplar  
hoc divinissimum sequi detrectasti. Diebus  
singulis verba hæc coram crucifixi Effigie pro  
amoris tui integerima reformatione pondera:  
*Manete in dilectione;* si præcepta mea seruaveri-  
tis, manebitis in dilectione mea, sicut & ego Pa-  
tris mei præcepta servavi, & maneo in ejus dile-  
ctione. Sine, ut ita quotidie ad cor tuum de  
cruce pendulus loquatur Jesus: tunc præci-  
pue, quando: & proh quoties id fieri sentis:  
refrigescit in Deum charitas tua. Sacerdos!  
nota plus his, plus his, plus his a te diligen-  
dus est Deus, cui præ aliis in Exemplum da-  
tus est Jesus. - - Pausemus - - - ad pedes  
crucifixi provolvamur.

## COLLOQUIUM.

Agnosco mi Deus! suavissime Deus! Ens  
summum, & usquequaque perfectissimum,  
Deus cordis mei, & pars mea Deus optime!  
agnosco, & probe quidem, quod amoris mei,  
dile-

dilectionis meæ scopus sis unicus, unica meta. Scio, quod in sortem ministerii tui vocaveris me præ aliis, ut amem te. Etiam nolenti persuadent hoc mihi gratiae præ aliis tam ubertim in me collatae. Urget me, ut diligam te præ aliis Exemplum unigeniti Filii tui, quem in Exemplum amoris præ aliis mihi dedisti. Gratias ago pro luminibus, pro coruscationibus, quibus suavissimum amoris patefecisti mandatum. Ah! quam doleo! quas sentio compunctiones Cordis mei amabilissime Deus! quod tam sero amaverim te. O! maledictum teporem, languorem execrabilem, qui mentem meam occupavit totam in divinissimis ministeriis mei officiis. Erubesco totus, totus confundor coram Majestate tua, quod non tantum non præ aliis, sed longe minus aliis dilexerim, causæ fuerunt pessimæ. Amabo te mi Deus! & cordintime, & semper, & præ aliis, ut vocationi satisfaciam meæ, ut gratiis respondeam acceptis, ut Jesu mei Exemplum sequar, tot amoris notis conspicuum. Confirmo o! Deus in me, quod statuo, quod propono: quod fixum, ratumque habeo, ut in te absorptus amem te præ aliis ardentissime! Væ! tempori, quo sic non amavi te -- Sucende in me amoris ignem, fervoris scintillas, ut a tempore pessimo non extinguantur in me amplius, donec ibi felix compaream, ubi a Sacerdotum choro amaris in æternum. Surgamus. - -

miserere mei amor crucifixe! audi confitentem reatum suum -- audi gemitus plangentis temporis suum, & horrendum amoris tibi præ aliis debitissimi neglectum. Cupio te diligere in Jesu! præ aliis, qui præ aliis dilexisti me, dum in sortem ministerii tui sanctissimi me aspexisti præ aliis. Emitte ex aperto cordis tui scrinio tot in me amoris sagittas, quot, ut ignoscam totus, in te sunt necessariæ. Vulnera cor meum lancea illa, quæ cor tuum in monte Golgotha aperuit, ut fugentur, abeant, cedant ex illo omnia, quæ, ut te minus aliis dilexerim, causæ fuerunt pessimæ. Amabo te mi Deus! & cordintime, & semper, & præ aliis, ut vocationi satisfaciam meæ, ut gratiis respondeam acceptis, ut Jesu mei Exemplum sequar, tot amoris notis conspicuum. Confirmo o! Deus in me, quod statuo, quod propono: quod fixum, ratumque habeo, ut in te absorptus amem te præ aliis ardentissime! Væ! tempori, quo sic non amavi te -- Sucende in me amoris ignem, fervoris scintillas, ut a tempore pessimo non extinguantur in me amplius, donec ibi felix compaream, ubi a Sacerdotum choro amaris in æternum. Surgamus. - -

## REFLEXIO.

O! Nos felices Sacerdotes Domini! si quæ sancte amori crucifixo sumus polliciti, servemus sancte. Quantus erit meditationis nostræ fructus, si propositi memores semper illud implere fatagimus, tum præcipue, cum tepr, cui diximus anathema, amoris sancti hostis capitalis, nostra denuo subire conetur pectora. Oportet sane, ut felicitatem nostram, vocationisque nostræ altitudinem ab amore Dei metiamur: oportet, ut diebus singulis strictam a nobismet ipsis exigamus rationem, num eidem vere respondeamus; num in Sacrofæcto Missæ sacrificio, in precum nostrarum penso, in Vitæ Sacerdotalis methodo hoc igne Seraphico ardeamus semper præ aliis. Accedit magnus omnino gratiarum cumulus, Beneficiorum singularium acervus, cuius intuitu dilectio Dei augescet abs dubio. Exemplum denique Salvatoris Nostri Jesu Christi, Patrem suum coelestem tam intense amantis, quod ut Sacerdotes præ aliis sequantur, nemo trahet in ambiguum, pro Charitatis incremento conferet plurimum. Hæc si quotidie mente circumspiciamus, faxim! nemo nostrum opus Domini faciet negligenter, eliminabitur a functionibus nostris maledictus a Deo tepr, succedet melius vitæ totius ratio. Facebent porro res creatæ omnes, quæ hucusque in vocationis nostræ perniciem corda occuparunt nostra. Verba tandem Di-

vi Augustini nobis faciamus propria, quoties accedimus tabernaculo, quoties Crucifixi amoris imago nobis objicitur: o Deus! minus te amat, qui tecum aliquid amat, quod propter te non amat. O! amor! qui semper ardes, & nunquam extinqueris, accende me. (f)

Sequitur Lectio Spiritualis ex Thom. Kemp.  
Lib. 2. cap. 7.

## De amore Jefu super omnia.

(f) L. 10. conf. cap. 29.



## MEDITATIO II.

## POMERIDIANA PRIMÆ DIEI.

*Sacerdos præ aliis constitutus est, pro Honoris Divini Exaltatione.*

**S**citis Sacerdotes Domini! quam dilucide, antequam pranderemus, nobis opitulante lumine desuper innotuerit Sacerdotis cuiuslibet obligatio, ut suavissimo amoris nexu præ aliis jungatur Deo, utpote ad hoc præ aliis vocatus, præ aliis abundantia gratiarum honoratus, præ aliis exemplo Christi edocitus. Nullus revera ambigo, soveri adhucdum in cordibus vestris eas scintillas, quæ exarsere horis antemeridianis. Quid Deo debeat amplius sacerdos, considerandum nunc est. Hæsimus in amore: Hæreamus modo non minus in ejusdem operatione. Omnium Ascetarum vox est communissima, cui ratio ipsa suffragatur: *Amor otiosus esse non potest.* Magna audit, imo Maxima, & qualis sit, quantusve actione comprobat, & opere amori consentaneo. Seraphici Doctoris Bonaventuræ assertio certissima est: *An Deum ames, de opere tuo requiras, non enim potest ignis esse in paleis, & non ardere.* (g) Inter prima Amoris testimonia fervorem pro Honoris divini tuitio-

ne

(g) S. Bonav. serm. de Sancto Laurentio.

ne colloco. Hic enimvero comprobat luculenter, quam amor in Deum verus sit, & genuinus, si pro honore Dei decertet impigre, armaque in eos vertat sua, qui eundem summa debellant procacia. Hanc jam meditationis venturæ statuamus basin: Sacerdos Deum amans præ aliis, præ aliis Honori di- vino, ubi ubi demum exantlando, se impendat efflictum

*Primo.* Regnum peccati evertendo.

*Secundo.* Regnum virtutis ampliando.

*Tertio.* Regnum Ecclesiae defendendo.

**PRAELUDIUM I.** Concipiamus animo, videre nos Christum, cinctum Sacerdotum cætu, cui serio hæc Jeremiæ dicta insinuat verba: *Ecce! constituo vos hodie, ut evelletis & destruatis, & dispersatis, & dissipatis, & adiectis, & plantatis* (h).

**PRAELUDIUM II.** Salvator amabilissime! Sacerdotum novi foederis primas divinissime! Fervidos nos Fortesque tua gratia effice, ut intrepidi procedamus in prælum, ubi de tuo honore agitur. Invocemus auxilium Spiritus Sancti, ut dono Fortitudinis roborati evadamus in pugiles, hac animati divi Pauli tessera: *unanimes, uno ore honorificetis Deum.* (i)

*Veni creator Spiritus!*

I. Sa-

(h) Jerem. r.

P. SAILLER TRID. SAC.

(i) Rom. 15.

D

*Sacerdos præ aliis ordinatus est; ut Regnum peccati evertat.*

**N**emo Honorem suum zelat magis, ac Deus ipse - - Infinitæ Majestatis suæ comprehensor summus agnoscit probe, Regem esse se Sæculorum, dominantium Dominum, sub cuius sceptro non solum trepidant abyssi, sed angeli tremunt ipsi, omnesque creature ejusdem advolvuntur throno. - - Serio, acriterque protestantem Deum Audiit Isaias, ut duro nuntiaret Israeli, quo Zelo Honori suo prospiceret: *propter me faciam, propter me, ut non blasphemem: Et gloria mea alteri non dabo.* (k) Alium certe, nisi honorem suum, sibi scopum præfixerat minime, dum ex voragine nihil educeret universi hujus massam vastissimam, Angelorum crearet choros, Regiae suæ proceres, Firmamentum ornaret stellis, terram oppleret plantis, piscibus maria, aerem avibus, ipsumque hominem in effigiem formaret suam. *Propter me, propter me hoc faciam.* - - Duæ præcipue erant creature, quas immensus rerum Conditor prærogatiis distinxit singularibus, Angelica una, humana altera. His de intellectu, & libertate providit speciatim, dum cæteræ ratione destitutæ, arbitrii impotes, naturæ impetu rapiebantur tantum; volebat nempe, ut & Spiritus incorporei

(k) If. 48.

porei in coelis, & Homo in terra ejusdem subfervirent gloriæ, agerentque, quæ Deo essent honorifica, & sibi proficia. Sed en! ex Libertatis abusu mox utrobique Regni sui jecerat fundamenta peccatum, Regno Dei. opportunum ex Diametro. - - Arrogans contra Deum insurgit perduellis Cherub - - totum miscet cælum fastuosus Lucifer, similis esse volens altissimo, & venturo quondam in humanis membris Filio Dei detrectans obsequi fissionem angelorum movet Infelix. Horrenda videtis, & execrandos peccati ausus, in Empyreo divinitatis Regno Sceptrum arrogantis sibi - - *Similis ero altissimo - - super astra Dei exaltabo solium meum, scdebo in monte testamenti.* (l) Verum ætatem non tulit rebellium Spirituum audacia: Regnum peccati in Regno gloriæ suæ pati nolens optimum Numen Brachio virtutis suæ ipsem et evertit illud, quin moraretur; Romphæam suam exerens infelici devictos strage ad tartara detrusit Rebelles, eosque, qui non servaverunt suum principatum, in judicium magni diei vinculis cæteris sub caligine reservavit, (m) iis remanentibus solum, qui gloriæ Altissimi studiis cecinere alacres: *Sedenti in throno, Et Agno Benedictio, Et honor, Et gloria, Et potestas in sæcula sæculorum. Amen.* (n) Sic enimvero manu propria, & potente rededit ad

(l) If. 14.

(m) Jacob. 6.

(n) Apoc. 5.

52

## Meditatio II.

ad Nihilum valde Regnum peccati Dei ipse, quod cœlo in ipso tanta moliebatur procax. - - - Aliter in orbe factum de peccati Regno, quando inter amoenissima Paradisi viridaria fedem figere occipiebat suam. Decepti a serpentis sibilo protoparentes nostri, pomi fatalis Esu eidem dedere primordia, quod postmodum ex Nepotum malitia limites ita transposuit suos, ut orbem sibi subjugaret universum, non finiendum, donec cessaret Sæculum per ignem. - - - Nihil equidem obstaculi habuisset Deus, ut atrox impiumque peccati regnum disperderet in limine; plenissimum ad manum illi fuerat semper armamentarium, ut nefandam peccati fedem vel submergeret aquis, quibus Noem vivente ipsa montium innatavere cacumina, vel consummeret ignibus, quibus Pentopolis conflagravit. - - - At Misericordiae memor sita ita noluit desævire piissimus Deus, longanimis, præstabilis super misericordia. Filio suo in carne venturo, lapso vix Adamo, Spartam mox detulit, quo Regnum invaderet peccati, subruendum funditus, iisque simul & una, quos ex hominibus eligeret, ut contra illud procederent in aciem, virtute induiti ab alto, quos & Apostolos, & Sacerdotes nominavit, misitque succedentibus temporibus in Mundum universum, ut prædicarent Evangelium. Et en! in Apostolis Sacerdotes omnes Legis novæ præ aliis ad conquassandum, diruendum, sustollendum petitus peccati Regnum electos; ordinatosque. Viderimus Reges terræ

terræ metari castra, ædificare propugnacula, conscribere milites, exercitus intruere, ut Hostium suorum propulsent impetum, aggressores retundant, & Sua tueantur armorum vi. Contra peccatum, ne in jura Dei inyolet, pugnare videmus neminem. Solis certe Sacerdotibus haec commissa est potestas, Imperium datum, ut scelera vertant in fugam, arceant crimina, a quibus honor Dei impetratur summe, salus animarum periclitatur unica. Peccavit in castris Israel, vitulum conflando aureum, cui obtulere thura, sacrificia adolevere. Adeit Moyses de Monte Sancto redux: honoris divini facturus vindicias, petulantem objurgat turbam, paratque Internacionem idololatris. Ecquos, ut stringerent acinaces in Dei veri summi contemplatores, evocat? quosve in ultores nefandi criminis feligit? Levitæ, Levitæ ministri tabernaculi fuere scilicet, qui officii memores sui irrupere in foedregos, eosque dissecuere in frusta, sancte Furentes: *Si quis est Domini, jungatur mihi, congregatique sunt ad eum omnes Filii Levi* - - *Feceruntque Filii Levi iuxta Sermonem Moysi, cecideruntque in die illa quasi viginti tria millia hominum.* Hanc de regno peccati victoriam retulere pro Dei Honore Levitæ: sic in acie pro honore Dei heroicum stetit Israelis Sacerdotium. Audiamus encomium, præmia inspiciamus victorum de peccati regno: *Conseruatis manus vestras hodie Domino* - - *ut detur vobis*

*vobis Benedic<sup>tio</sup>. (o) Et quæ vox aures per-  
cellit nostras? Sacerdotes Dei! Si quis Domini  
est, jungatur mihi. A quo provocamur in  
arenam? vox hæc, non Moysis, sed penden-  
tis de cruce Domini est: Si quis Domini est,  
si quis Deum amat, si quis honorem meum, in  
primis suas numerat curis, jungatur mihi --  
Ego in cruce, in morte, vulneribus meis, san-  
guine meo Regnum Sathanæ peccatique de-  
struxi -- Ego Sacerdos legis novæ pri-  
mus, cum sceleribus conflixi -- Ego pugnai,  
ut satisferet honori Patris mei -- Si quis  
est Domini, jungatur mihi, -- Surgite Lévi-  
tæ, Sacerdotes mei! arripite clypeum --  
accipite armaturam Dei, ut possitis resistere  
in die malo, induit ioramicam justitiæ, calceati  
pedes in præparatione Evangelii. Sumentes  
scutum fidei, galeam salutis assumite, & gla-  
dium spiritus, quod est verbum Dei. --  
Videtis, manibus palpati, qua ferocia hono-  
rem Domini impugnet, contumax his tempo-  
ribus depravatis peccati Regnum: quo tumo-  
re effraenato cælo insultet peccatorum nequi-  
tia. Summum bonum Deus in Extremo po-  
nitur spretum, posthabitumque passionum il-  
lecebri. Pedibus proteruntur ejusdem man-  
data sanctissima -- Status hominum pene  
omnes sub peccati stipendiis militant, contra  
Deum rebelles. -- Honestatem oppugnant  
depravati mores -- Amoris divini flam-  
ma*

(o) Exod. 32.

ma in aquam defuit turbidam --- procaci-  
tas, & superbia in sanctuarium bacchantur pa-  
sim --- Imperium exercet libido in vere-  
cundiam truculentum --- odium, inimici-  
tiae cruentem sitiunt, proximique interitum  
machinantur implacabiles --- Charitatis le-  
ges diserpuntur, animorumque dissolvitur  
nexus -- dolus, & fallacia sub amicitiæ san-  
ctæ Larva, foederisque tenacissimi peplo ma-  
la meditantur omnia -- gemit in compede  
Innocentia, triumphat livor -- deridentur  
Ecclesiæ Sabbathæ --- vilescit Dei servitus,  
excipitur cachinno verbum Dei -- incuria,  
peffimoque Parentum exemplo immolantur  
parvuli Dæmoniis, & non Deo --- & quæ  
demum e peccati regno ultra producam agmi-  
na, quibus honor Dei impugnatur perditissi-  
me? Dormientne Sacerdotes? patieturne  
Deus porro tanta honoris sui dispendia? iner-  
mesne erunt Levitæ meticulosi, timidi? sta-  
bitne peccati Regnum, Dei contemptu sufful-  
tum? -- Surgite, surgite Sacerdotes! osten-  
dite, quantus in vobis ebulliat Numinis amor,  
ut pro ejusdem honore decertetis. Ubinam  
vestra animositas, ubi masculus mentis vigor,  
magnanimusque cordis ardor in Cathedra, in  
facro Tribunal? Væ vobis, horrendum væ!  
si ignavi, si muti, si imbecilles, peccato resi-  
stere in faciem non audetis: si armorum vice  
blanditilis utimini, & lenociniis, si ex scien-  
tiæ congruæ armamentario ea vobis compa-  
rare negligitis, quæ contra scelerum fortali-  
tia

tia in arietes, & catapultas vobis suppetunt abundanter. Væ! horrendum væ! si vos ipsi Ephod vestiti, in fortem Domini vocati, sub peccati signis honori divino moveretis bellum? - - - Sacerdos peccator - - - peccator Sacerdos, monstrum quantum! quale nec orcus habet - - - Huc modo devenimus, ut discutiamus solerter, num honoris divini studio animati contra peccatum nostras exercuerimus vires - - - num, & quænam scelera nostro conamine in fugestu, & sacro tribunali esse desierint? quosnam, quotve e nostræ curæ tradicis solverimus a peccati famulatu scelerumque jugo? - - - num iis probe vacaverimus studiis, quæ in peccati exædium nos redundat capaces, & instructos? num concionum catechesiumque neglectu, vel earum deblaterratione lurida, infructuosa, inconcina, male elaborata, regnum peccati non auxerimus magis in honoris divini propudium? num Exemplo malo in ejusdem præjudicium Satthanæ Imperio non fecerimus incrementum? num ædes nostræ ipsæmet, nostrummet famulitum, noxiæ libertatis indultu, damnabili conniventia, dissolutiore vita, peccati Regno tributaria non sint? Ah! Sacerdotes! fixum tenete, ratumque, tunc amorem Dei in nobis esse conspicuum, ubi honori divino nostrum servide contulimus studium. Plena horrore Magni Gregorii verba sunt: *Ecce Mundus sacerdotibus plenus est - - - nullum tamen ab aliis majus, quam a Sacerdotibus patitur Deus præ-*

*præjudicium, quando eos, quos ad correctionem aliorum posuit, dare de se exempla pravitatis cernit. (p)*

## II.

*Sacerdos præ aliis obstringitur, ut ampliet Regnum virtutis.*

Etsi hoc verbum bisyllabum *Deus* nomen sit grande, maximumque, in quo solo omnia attributa entis summi continentur, a quo solo homo allicitur ad amorem; per quod solum, ut ejusdem honorem quæramus, & tueamurque, trahimur: patitur id nihilominus, aliud quid adjacens, ut innotescat clarius, Scrutamini scripturas, præconiorum Dei promptuarium amplissimum; & occurret vobis Deus verus, Deus justus, Deus misericors, Deus terribilis, Deus immortalis, Deus immensus, Deus omnipotens. Scilicet ideo factum esse putemus, ut, cum nomen Dei mare immensum sit, cui capiendo exigua intellectus nostri concha non suisicit, illud nobis appareat clarissimum, dum proprietatum divinarum radiis illustratur. Unum est, quod singulariter penes dicta nomen Dei exornat, quando a Psalmo regio *Deus virtutum* puncupatur. Ita est, virtutis præconium summum habetur, quod a Deo exeat, ad Deum tendat, cum Deo ambulet, propter Deum exerceatur, in Deo

(p) S. Gregor. M. Hom. Sup. Ev,

Deo perseveret, usque dum coronetur. Solia virtus Deum lucratur, solumque virtutis Regnum, regnum Dei est. Abeset profecto ibi Deus, si immensus non esset, ubi virtus exulat. -- Qui inter lilia pascitur, inter virtutes moratur tantum, honoris sui quærentes emolumenta unice. -- Virtus elementum hypocrisis gerens fucum, virtus non est; ea solum delectatur Deus, quæ in oculis ejus hominem reddit justum, placentem, Sanctum. -- Amplissimum virtutis regnum est, et si in exigui cordis spatio contineatur. Quot numerantur virtutes, tot sanctissimi hujus regni sunt incolæ, quorum princeps Deus est -- Adamum consideremus, in quo hospitabantur omnes, antequam peccato iis spoliabatur misellus cum virtutum excidio. -- Appetitui Dominans suo honorificum extitit Creatoris sui Plasma, & Innocentiae vestitus tunica oculum in se rapuit divinissimi Plastis ceu perfectionum, virtutumque compendium. At ex lamentabili peccati rabie gratia excidens, everti in se, deplorabat amare, virtutum regnum, indomitarum passionum verna ærumnosus, mancipium lugendum. -- Habuit quidem lex vetus plures ex utroque sexu virtuti ad dictissimos: Filio Dei attamen in terris viso, & cum hominibus conversanti reservabatur tantum, ut regnum virtutis restauraret denuo, justitiae, perfectionis, sanctitatis exemplar completissimum -- Nec passus est, ut in se virtutis jubar solum esset conspicuum, sed

Apo-

Apostolos elegit, vocavit Sacerdotes, qui fidei, & Religionis non solum, sed & Virtutis regnum in orbe exantlarunt universo. Verba notemus, quibus grande hoc ipsis inculcabat negotium, *Perfecti estote, sicut & Pater vester perfectus est -- posui vos, ut eatis, & fructum faciatis.* -- *Sint Lucernæ ardentes in manibus vestris -- vos estis lux mundi -- sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona, & glorificant Patrem vestrum, qui in celis est.* Patheticæ sane suadelæ! comminationes certe succulentæ, ut Regnum virtutis non tam verbo dilatarent, sed maxime exemplo. -- Unumne ex Apostolorum, primorumque Sacerdotum collegio notare quis poterit, vel perstringere de prædictorum verborum neglectu? Nullum omnino. Verbi Domini memores, semper in hoc adlaborarunt omnes, ut pararent Domino plebem perfectam, & Evangelio annuntiato, & vitæ irreprehensibilis, & imitabilis specie. -- Duri adincedum cerebri erit Sacerdos, qui sibi eadem dicta esse dissitetur, ubi mystarum numero se aggregavit, & animarum in se suscepit sollicitudinem pastoralem -- tunc, tunc, tunc Sacerdos hæc præ aliis menti tñæ insonuere graves juxta ac salubres voculæ. -- *Esto perfectus -- posui te, ut fructum afferas* -- *Lucerna ardens sit in manibus tuis -- tu ex lux mundi -- Luceat lux tua coram hominibus, ut homines Deum in te glorificant.* -- In collum mentiris tuum, si ista audiisse te per-

perneges in Seminario, in Tyrocinio, in prima mentis tuæ recollectione, Ordinibus sacris vel prævia, vel subsequा, scilicet, ut præ aliis obstrictum te intelligas, tuarum esse partium, quo Regnum virtutis a te præ aliis propagetur in honoris divini augmentum. - - - Neminem altari adstare suo permisit Deus, quem vel tenuis infecerat macula, cui litura vel minima fordebat cutis, dum in sacrificium adhuc mastabantur boves, vituli jugulabantur, cultrum patiebantur passerculi, & columbae - - - Voluit Sacerdotis vultum sine labe Deus, corporis habitum sine nævo, ut oris venustas sacras cohonestaret stolas, coronam ornaret & mitram, in qua Lapi des pretiosi fulgebant, cum perficeretur opus Dei; & atras in sacerdote novæ legis tolerabit notas? ubi cesserunt umbræ, ubi Sacerdotii munus eo perfectius est, quo lux tenebras antecellit, & opacam noctem? - - - Nullam in Sacerdote desiderari vult virtutis speciem - - omnes in illo ut luceant præclaræ, cupit, jubet. - - - *Estate perfecti - - vos esis lux mundi - - posui vos, ut eatis, & fructum afferatis - - sic lucet lux vestra coram hominibus.* - - Ut, qui vestræ subsunt curæ, virtutes vite Christianæ confonas diligent, exerceant, & sic amplificetur virtutis Regnum. - - Sed sacerdos in Sæculo es, sed monasticæ régulæ te non stringunt. Sed cœnobita non es, nec inclusum tenet te claustral is carcer: Sacerdos es attamen, cui eadem ac monacho perfectio

com-

competit. - - Cui simillimum profructus incurabit virtutum omnium exercitium - - plus dico, super candelabrum positus, oculis mundi totius pates, notaris passim, videris in apri co, quod Monachus, quod Vir claustral is non est in felici cellæ suæ ergastulo: virtutum plurium a te qui expectat, quam ab illo, specimena, sapit, expectat iuste. - - - Sacerdos es, sufficit. Eusebio Cœsareensi crede: In sacerdote tanquam in speculo relucere debet perfetto. (q) Magnum audi Gregorium: *Decet Dominicum sacerdotem moribus, & vita clarescere, quatenus in eo tanquam in vita suæ speculo plebs commissa & eligere, quod sequatur, & videre possit, quod corrigat.* (r) Chryostomi assertum cape: *Sacerdotes positi sunt ad ornamentum populi, & ad ædificationem sanitatis.* (s) Res ipsa pro se differit facunde, quin pro Exantlando a sacerdote virtutis regno aliis utamur subsidiis. Sacerdotem proprius intueri, in quo singulare eluet virtutis studium; castimonia famosus (ut virtutum moralium solummodo partes agam) humilitate insignis. Vanitatum ofor, deliciarum hostis, sobrietate conspicuus, misericordia in proximum clarius, modestia, & mansuetudine illustris, in oratione officioque divino fervens, amans solitudinis, & turbarum pertæsus, quo impetu, qua vi regnum virtutum non exantlat, dum in

(q) Ep. ad Dam. Pap.

(r) L. 7. in Reg. Ind.

(s) Hom. 43.

in sequaces trahit tot, quot cum conspicantur? Videamus, discirramus, an hucusque pro Regno virtutis steterimus heroes, qui præ aliis huc sumus destinati. - - Ubi persicutionis studium? ubi virtutum exercitium pro Sacerdotii nostri cultu, & dignitate? ubi ista? - - *Ejclote persefili* - - *vos ejis lux mundi* - - *Luceat lux vestra, ut honoretur Deus, ut glorificetur Deus?* Divi utinam Cypriani nobis verba congruerent: *Dicuntur Christi sacerdotes, ut se formam gregi ex animo ostendant, & ad angelorum conformitatem & verbo, & exemplo promoveant subditor, & adducant.* (t) Euge! floreat per nos ad maiorem Dei gloriam regnum virtutis, pessimum letetur peccati regnum, regnum Ecclesiæ triumphet.

## III.

*Sacerdos præ aliis obligatur ad Regni Ecclesiæ defensionem.*

Cui sponsus in honore, & amore est, sponsam non minus diligit, estimatque, utpote Prioris delicias, cordisque oblectamen. - - Ecclesiam, & Romanam, & Catholicam Christi Sponsam esse suavissimam quis ignorat? - - Sponsum Ecclesiæ, & Sponsum sanguinem quidem, esse Christum Patris æterni Filium unicum, extra dubium est pariter. - - Pendentis, & mortui in Cruce Domini aperuit latus militis lancea: perforatum diro cuf-

pide

(t) de Singul. Cler.

pide, pellucidas aquæ, & sanguinis emisit guttas, quibuscum Ecclesia in orbem defluxit Cypriano asseverante: *Sanguis, & aqua fluebat, unde sibi Ecclesiam sanctum fabricabat.* (u) In colle Golgothæ nempe annulo sponsalitione Ecclesiam subbarriavit sibi, cui fidem sponsavit sanctissime servandam ævitem. Imo & in regnum suum eandem elegit sibi Petro Damiano teste: *Sceptrum Filii Dei est Ecclesia, & Regnum: hoc est & nostri redemptoris Imperium.* (x) Noluit tamen, ut angustis limitibus contineretur Ecclesiæ suæ regnum, dilatandum, quaque orbis patet, ubi, ubi demum viverent populi, habitarent gentes, quas Ecclesiæ subderet suavi jugo, dicerentque sibi homagium. - - Et certe, quod admirerum maxime, crevit Ecclesia tum jam, cum vix vagiret in eunis, initiumque haberet suum. - - Rediit ad sinum Patris sui Iesu in Oliveti clivo - - at quo conatu, qua energia Apostolos exhortatus est siuos, ut irent? ut annuntiarent Evangelium omni creaturæ? ut docerent gentes, ampliarentque regnum suum usque ad fines terræ. Sorte cælitus data orbem universum inter se partiuntur duodecim pectorculi, Spiritu sancto formati in viros egregios. - - - Excurrunt sine pera, sine bursa in Zonis, sine calceamentis in remotissimas regiones; doctrina, exemplo, miraculis

(u) de monte Sina &amp; Sione.

(x) Ep. ad Cadul. Antip.

culis idola comminuunt, subvertunt delubra, & erecto crucis dominicæ signaculo regno Ecclesiæ gentes subdidere innumeratas, quales nec mundi Heroes, armis etsi invictissimi, suis aggregarunt Imperiis. - - Tunc enimvero dicere de se poterant Apostoli in mundo, quod viginti quatuor seniores cecinere in coelo: *Fecisti nos Deo Sacerdoti, & regnum.* (y) Exasperavit tamen Inferos hoc Ecclesiæ regnum; Irrugiere in plantam hanc novellam Domini spiritus nequam. Et quae in hodiernam diem usque inire consilia? quas instruxere machinas? quosve fuscitarunt motus, ut Ecclesiæ regnum vel succuteretur funditus, vel angustioribus constringeretur cancellis. Qua rabie in illud debacchati non sunt tyranni, purpurtæque tigrides, leones Coronati? qua vesania in ejus ruinam non despumabant mala quæque impinnatae Hæresiarchæ? quo livore in ejus perniciem non desudarunt hucusque proterva vafrae Politices ausa? Heu! Heu! quæ vivimus tempora - - surgite principes, & arripite clypeum - - & qui, qualesve pro Ecclesiæ Regno accendantur in arma, vocentur in prælium, ut bello lacestant aggressores, orco foederatos, & Daemoni? - - Sane alios, quam sacerdotes reperiet nemo - - *Surgite principes, & arripite clypeum.* - - Hi sunt, quos constituit Deus super muros Jerusalem custodes: Hi, qui tota die, ac nocte non tacibunt in perpetuum.

---

(y) Ap. 5.

tuum. Hi sunt quibus dictum est ab Isaia: *Qui reminiscimini Domini, ne taceatis, & ne detis silentium ei, donec stabiliat, & donec ponat Jerusalēm laudem in terra.* (z) Et bene ab Hyeronimo *Viri Ecclesiastici muri, & turres Ecclesiæ nuncupantur.* (a) Ita est, sacerdotes Ecclesiæ propugnacula sunt, unde pro Regno Ecclesiæ audacter, & intrepide dimicatur. Arma vero quæ sint? Doctrina solida, vitaque probe instituta. Cessit mendacium veritati semper; erubuit garris ultra improbitas, hac differente. Sacerdos scientia instructus solida, labore studioque comparata sibi, bello aptus est satis, ubi eos oportet aggredi, qui Ecclesiæ sanctæ dicunt probra, calumnias effutunt, fannas evomunt, caput ejus visibile immitiunt alapis, Sacerdotibus detractionis cautelio teterrimas inurunt notas, nihilque negligunt, quo Regno Ecclesiæ maximæ inferantur detrimenta. Sed hem! ubi Sacerdotes canes muti non valentes latrare? ubi, qui teila retorqueant, in lege Dei, in Ecclesiæ iuribus, in dogmatum scientia Erudit? - - ubi, qui opulento doctrinæ apparatu instructi omnutescere faciant imprudentium hominum Ignorantiam? ut ab Apostolorum moneatur Principe. (b) Stetit Regnum Ecclesiæ inconclusum, dum in ejusdem hostes detonuere solidis

(z) I. 43.

(b) I. Petr. 2.

(a) Ep. 47. ad Rust.

dis Philippicis Athanafii, Chrysostomi, Ambrosii, Augustini. Quanta hodie impune audet indifferentistarum, & heterodoxorum putida colluvies? prælo Luciferi in orbem evolant folia, mendaciis illita? fuerunt in Ecclesiam passim Schediasmata oppleta commentis? nemino non scurrarum Sacerdotio exprobrat non ex Philistæis solum, sed ex iis etiam, quos una fides, unum Baptisma in genuinos Ecclesiæ filios regenerarunt. Patitur Ecclesiæ Regnum -- ubi Sacerdotes? qui, ut pro illo decercent intrepidi, præ aliis præsto sint? -- O! dedecus! o! ignayjam! o! inertiam miserandam! Patitur cum Regno Ecclesiæ suæ Deus; & Sacerdotes! qui utriusque Patrimonio vivunt dapsiliter, nutruntur usque ad delicias, epulantur in filiorum mensa -- tacent induiti Ephod, oscitant, Ronchos sonoros trahunt polemices vel neglectu, vel exigu aut omnino nulli de Regno Ecclesiæ Statistæ, vel obloquentium inertes parasiti -- acerrima dictu ista sunt, vera tarnen, & verissima, dum interim, repeto, patitur cum Regno Ecclesiæ suæ Deus -- Quod verbo pro Ecclesiæ emolumento facere sacerdos potest, hoc exemplo valet eo efficacius. Videat, obsecro mundus, videant Heterodoxi Ecclesiæ nostræ Mystras ambulantes in via recta, moribus concinnis decoros, virtutum amatores praticos, irreprehensibiles, instructos doctrina, Deus bone! in quo pretio habebitur Ecclesia, cui tales viri, tales, inquam, viri defer-

deserviunt. - - - Quantum crescat honor, æstimatio quantum? - - - At enim, si Filii Sion Incliti, amicti auro primo reputentur in vasa testea -- si facies Sacerdotum non erubuerunt, (cum Jeremia plangimus) si candidores Nazaræi ejus nive, nitidores lacte, rubicundiores ebore antiquo, Saphiro pulchriores, si, qui nutriebantur in croceis, amplexantur flercora, quantum denigrabitur super carbones facies eorum, & non erunt cogniti in plateis in damnum maximum Regni Ecclesiæ? (c) Threnis Jeremiæ corde palpitante adgemit Bernardus ululans magis, quam ingemiscens: *Heu! Heu! Domine! Egressa est iniqüitas a Presbyteris, a Vicariis tuis: non est jam dicere, ut populus sic sacerdos! quia ipsi sunt in persecutione tua (in Ecclesiæ tuæ) primi, qui videntur in Ecclesia tua primatum diligere, gerere principatum.* (d) Meliora de nobis Sacerdotes Venerabilis hujus confessus! meliora. Præ aliis, præ aliis in defensione Ecclesiastici Regni omni desudemus nisu; gemitibus, & lacrymis inter templum & altare vacemus, ubi profumus nihil & verbo, & exemplo. Evigilabit, evigilabit dormiens in puppi Dominus precibus fatigatus nostris. Expergitetur, ubi mente impolluta nos audierit clamantes *salva nos: perimus -- pericitatur Regnum tuum, honor tuus, exurge Domine, & dissipentur inimici tui.* Fle-

(c) Thren. 4. (d) Serm. de conv. S. Pauli.

Flexo poplite crucifixo Ecclesiæ Sponso adgeniculemur. - - - Uniuscujusque, & mei vice loquor.

### C O L L O Q U I U M.

**E**n! prostratum me ad pedes tuos terebratos clavis crucifixe Deus! confiteor, non abnuo, vocatum me esse præaliis, ut pro honore nominis tui decertem impiger, & sancte audax, in evertendo Regnum peccati, in ampliando Regnum virtutis, in defendendo Regnum Ecclesiæ tuæ sanctæ; Ita, excenso hoc me dignatus es honore, ut in amoris mei testimonium suscipiam partes tuas, qui peccato tam horrendum offenderis, virtutum studio adoraris, & Ecclesiæ sanctæ tuæ incremento mirum delectaris. Grates, grates maximas tibi rependo pro Ministerio tam sublimi, ut diligam te, ut honori nominis tui præaliis immolem pectus meum, me totum. Lumine Spiritus sancti tui illustratus agnovi factis, & abunde, qua de causa Sacerdotibus tuis aggregaris me; Quam vellem, ut vires omnes impendissim meas, quain cuperem, ut mihi nihil fuisset prius, antiquius nihil ac eradicare in me aliisque peccatum omne, quod maxime adversatur oculis Majestatis tuæ, virtutem implantare omnem. In qua tibi summe complaces, pro Ecclesia animose stare tua, quam sponsam elegisti tibi unicam, sanguine comparatam, & acquisitam tuo. Sed & in munie-

munere tam sancto torporem accuso meum, languorem execror. Quoties haec rigide obicit mihi conscientia mea. Quoties neglexi officii mei munus sanctum, dum scandala inter meos graffari, saevire cum dolendo animarum commissarum detimento lanquores permisi. Quoties in scelera invehere erubui: quoties connivendo, mitius blandiusve agendo animarum immortalium, & mihi, & mihi commissarum stragem non præverti. In me ipsum jure lenior, quam parum animi noxas effugi, ne injuriam inferrem tibi. Virtutum pretium, formamque pulcherrimam quam agnovi parum, ut iis ornarem sacerdotium meum, easque in eos Exemplo transferrem meo, quos dedisti mihi, ut opera, & cura mea, vitam agerent placentem tibi. Quo studio, qua contentione, quo nisu ferio pro Ecclesia tua steti, pro sanctuario decertavi, ne furori hostium suorum pateret. Culpa rubet vultus meus, pudore suffundor totus teporem contemplans meum, ignaviam videns meam in pælio contra adverfantes tibi. Væ mihi! quia tacui, quia hominum respectu territus, metu vano tractus, scommata Ecclesiæ illata tuæ, Blasphemias Religioni tuæ impactas, eo animo, ea strenuitate pro divinissimi nominis tui honore non disjeci, confregi, prout a me exegisset muneris mei sacerdotalis ratio. Damno ex corde teporem meum, diris devoveo inertiam meam, qua ad resistendum inimicis tuis idoneum me minus otio, & desidia reddidi,

qui Zelo pro honoris tui incremento inflammatuſ vitam, ſanguinemque meum debuifsem profundere millies. Aliud eveniet porro mi Deus! præcinctus Fortitudine bello peccatum omne perfequar acerrimo, virtutum fovebo partes strenue, pro Eccleſia tua ſtabo cataphractus. Adjuva me Deus, ſine quo nihil valeo, nihil poſſum, doce manus meas ad prælium, digitos meos ad bellum, qui manibus in cruce fixis peccati deſtruxiſti imperium, virtutum ſtabiliſti regnum, & Eccleſiae tua poſuisti firmamentum, contra quod portæ inferi prævalerent nihil. Sic, ſic ad Bellum pergam crucifixe Deus! ut experiare quod amem te, quod honorificem te, dum Spiritus mihi, dum vita ſuper.

## REFLEXIO.


Quiescamus paulisper - - - feria abs dubio fuere proposita noſtra, quæ luculenta cognitio, quid præ aliis Deo ſacerdos debeat, nobis extorſit. Sed quam cito languescent, niſi ea renovemus ſæpius. Horrore peccati ſemel rite concepto viribus laboremus totis, ne dira haec lues, pestiferaque contagio nobis, aliisque in posterum perniciem inferat. Oppugnemus ſcandala publica, occaſiones ſubruamus malas, quas graffari inter noſtos ſci-  
muſ. Blandiamur nemini, nec iis, qui fasces gerunt,

gerunt, ſcelerumque protectores ſunt, & cauſidi ci pefſimi. Perfectio ſtatiu noſtro debita, quæ ſumma eſt, noſtrum ſibi vendicet ſtudium, ut a peccato remotiſſimi virtutibus reſplendeamus omnibus, ut honorificetur in nobis Deus. Simus perfecti, ſicut pater noſter in caelis perfectus eſt, ut ampliſcetur Regnum virtutis: ſimus immaculati in oculis Dei, & mundi, quibus expositi ſumus nullo non tempore. Pudeat nos, & extreme pudeat, ſi homines ſeculi nobis meliores ſint, virtutibusque reſuceant magis. Quæ noſtra quondam erit in judicio, in morte, in hora ultima conſuſio, ſi virtutibus deſtituti congruis, imperfecti, aperſi maculis, apparebimus in conſpectu Domini? ſi honoris divini incurios, ſtatus noſtri oblitos, haec nos feriet ſententia: Ite a me, neſcio vos. Demum Eccleſiae ſanctæ deſenſio curarum noſtrarum prima ſit. Sentiat ze- lum noſtrum pro Domo Domini, pro Religione ſancta, qui audacius, quisquis ille ſit, ſcom- matibus, probrisque eam proſcindit vecors: arma conſcincamus nobis ſolerti ſtudio, ut ob- viemus contumeliis malorum ſolide, & au- daſter. Et quæ melior nobis eſſe poterit ar- matura, quam vita irreprehensibilis, vita ſa- cerdotalis? ut Eccleſiae hostes confundantur, quæ tales, tantosque alit ſacerdotes, quos contra nihil habebunt dicere, qui ex adverſo ſunt. Euge! notemus Diem hanc peculia- rem, qua Deo noſtro pectora dedicavimus no- stra,

stra, ut amemus eum solum, ut honoremus solum ex corde toto, ex anima tota, ex mente tota, ex visceribus totis.

Sequitur Lectio brevis ex Thoma Kempenfi. L. 2. c. 11. *De paucitate amatorum crucis Iesu.*

Sequuntur Litaniae de Nomine Iesu.



DIES

## DIES SECUNDA.

*Negotium sacerdotis secundum salutem propria.*

## MEDITATIO I. ANTEMERIDIANA.

*Sacerdos præ aliis, ut bene vitam instaurat, tenetur.*

**T**ransacta utiliter, ut opinor, hesterna Die, quæ nobis illuxit tota, quo, quid Deo debeat sacerdos, clare perspicremus, ea posuimus jam Sacri Tridui nostri fundamina, ut amore Dei ignescentes, ejusdemque honoris propagandi studio occupatos nihil impediat, quo minus ad alia transeamus. Circa ea versamur actutum, quæ Sacerdotem salutis suæmet cupidum prepius concernunt. Timet sacerdos id, quod & gentium Apostolo timorem incusit summum, *Ne forte cum aliis prædicavero, ipse reprobis efficiar.* (e) Præpositus in gubernaculum aliis credit nemo, profectorum se, nisi prius semet in ordinem rectum composuerit, vixeritque ita, ut vim doctrinæ suæ addere queat, & efficaciam, Ridetur Dux, qui in campum educit suos, dimicaturus contra inimicum agmen, nisi belan-

(e) 1. Corinth. 7.

landi artem calleat ipse. Incassum suos ad solis orbitam inspiciendam pullos aquila evocat vocis clangore, nisi prævolet, nec sequentur ducem grues, ubi dux manserit retro. Peribit Sacerdos, industriae fructu caret suæ, ubi extra tramitem vitæ sacerdoti competenter graditur præter Clerici, vel Religiosi vestem, tonsuram præter habens parum vel nihil. A salute propria auspicatur, qui in aliorum salutem excurrit. Sancti erant Apostoli, priusquam docerent. Ipse Dei Filius coepit prius facere, quam docere. Et quid, si orbem ad cœlestia traducamus universum, pereamus tamèn ipsi, quam lugubre, quam horrendum erit fatum nostrum Sacerdotes! Verba Salvatoris, quibus ad Exemplum S. Francisci Xaverii pro aliorum conversione utimur, in nosinet derivemus: *Quid prodest homini, si uxiversum mundum lucretur, animæ vero suæ detrimentum patiatur.* Audio revera Parochianos nostros ad quemque nostrum latronum in Calvariae monte verbis clamare: *Salvum fac temetipsum, & nos.* Ita, Sacerdos! Ita, in animæ tuæ salutem excubare debes præ aliis, qui præ aliis tuorum saluti invigiles: qua autem ratione id fieri oportet, trinarium nota, & assertum primarium.

Sacerdos præ aliis, ut bene vivat, tenetur

*Primo.* Dignitatis suæ intuitu,

*Secundo.* Bono temporis concessi usu,

*Tertio.* Mediorum, & gratiarum fructu.

PRÆ-

PRÆLUDIUM I. Oculis mentis nostræ intueamur Christum in deserto, quo a Spiritu ductus fuerat, ut annis doctrinæ suæ tribus præmitteret dies quadraginta præparatione sanctissima, ostenderetque Sacerdotibus, quam necesse illis sit, de Dæmonie prius triumphum agere, antequam in aliis eundem devincunt.

PRÆLUDIUM II. In cænaculo montis Sion non minus Apostolorum notemus congregationem, qui expectabant inclusi paracletum, perseverantes in oratione, actibus vacabant pietatis integrimæ vitæ haurientes præcepta, Magistrique sui in coelos assumpti recensentes dogmata, mores reformati docentes, antequam aliis docendo traiderent. Ut præsens sentiamus numen, Sancti Spiritus suppetias invocemus,

*Veni Creator Spiritus!*

### I.

*Sacerdotem, ut vitam agat probam, multum juvat dignitatis suæ contemplatio.*

Inter maxima, ut bene quis vivat, incitamenta computatur justa Status, Dignitatisve, quibus vestitur, consideratio. Quis sum ego? quæstio prudentis est, ut probrum caveat omne, quod sibi posset aspergere incautius. *Sicut, dum ignoratur, dignitatis magnitudo*

*do, segniores facit, ita si noscatur, gratos reddit, & magis efficit studiosos Chrysostomi effatum est. (f) Scelere inquinavit se primus homo inter paradisi delicias, in honoris summi fastigio, Rex creatus universi - - - quænam lapsus flebilis, ruine inopinæ causa? Homo, cum in honore esset, non intellexit, comparatus est jumentis insipientibus, & similis factus est illis: causam habeto ex Psalte regio. (g) Qua cura digniori providetur vestimento, ne fodiens inquinetur? qua sollicitudine conservamus vas auri solidum, ne pulvere conspergatur aut luto? & quis, insipiens nisi, dignitati suæ propicit minus, ne maculis dehonestetur? Calcar urgens dignitas est, ut homo agat bene semper, male nunquam. Nullus de dignitatis sublimitate gloriari debet, nisi habeat vitam condicentem dignitatem; ait Sanctus Bonaventura; (h) & *luto ignominia est apud indignum dignitas teste Tullio.* (i) Quid ultra, ratione convincimur coronam auream, in stulti vertice, Scepturn aureum in fatui manu, a pretio suo plurimum deperdere, nec deplorabile magis reperit quidpiam Regum sapientissimus, quam dignitatem in indigno. *Est malum, quod vidi sub sole, possum stultum in dignitate sublimi.* (k) Felix ille, qui suæ memor dignitatis nihil non agit, ut vita congrua ei semper faciat fatus,*

(f) Hom. 21. ad pop. Antioch. (g) Psal. 48.

(h) Sup. Joan. 12. (i) in Sent.

(k) Eccl. 10.

satis, eamque dignis moribus cohonestet. Ethica hæc sunt, accedamus proprius intentio. Habent dignitates gradus suos, differuntque inter se Astrorum ad instar, & claritate, & magnitudine, & officio. Soli, Lunæque primatum inter sydera contulit, conditor ipse in prima rerum genesi, ut ille præcesset diei, nocti ista. Dignitati etiam illi locus datur primus, quæ negotiorum selectu, & altitudine aliis præstat. Tumet, inflatur suis dignitatibus sæculum. Videmus Reges terræ, ornatos purpura, corona insignitos, gentibus dominari, leges dicere, proceribus cingi, & pene adorari: quia Regia pollent dignitate, rebus terræ invigilantे dunitaxat. - - Quid dicitur, dum *Sacerdos* dicitur? quæ in se continet trisyllabum hocce vocabulum: *Sacerdos?* o! altitudo divitiarum! o! gloriæ & honoris copia! Quam incomprehensibilia sunt, quæ uni Sacerdoti contulit Deus. Ea, quæ Sacerdoti negotia competunt, ponderemus: obstupecite coeli super hoc; quod Angelis concessum non est, quod in Seraphicos, Cherubicosque Spiritus non congestum, in solo abundant Sacerdote. Ab Intimis Deo Consiliis est Sacerdos, primusque in Regno Ecclesiæ Minister. - - In Societatem, Familiaritatemque proximam admensus humanæ salutis æternæque partitur cum Deo negotia - - claves coeli, & Abyssi desert Sacerdos commissas fibi, etiam in Principes terræ Judicis fungens munere. - - Divinorum oraculorum interpres

pres est Sacerdos, verbique divini Evangelista in ostensionem veritatum aeternarum. Ligat, solvit in terra Sacerdos in cœlis valitura, animarumque immortalium sustinet regimen, quibus pretiosius Deus condidit nihil. Successor genuinus Apostolorum, ipsiusque Jesu Christi Sacerdos est, ut altissima Domini gerat negotia, a quibus arcentur, qui portant orbein, & Principes, & Imperatores, & Reges vocantur, Duceisque. Omnipotentiae divinæ quodammodo particeps, non sicut freta cum Moysè, non sicut solem cum Iose, non avocat fulgetra cum Samuele, sed personam Jesu Christi gerens, verbis pauculis e cœlo trahit quotidie in terram Filium Dei Salvatorem, cuius adventum Patriarchæ tot sœculis frustra expectabant in limbo. Obedit voci Sacerdotis Deus ipse, tractari ab ejus se finit manibus: colloquitur ei dulcedine summa, pectus ejusdem subintrat, &, modo voluerit, quotidie sanguine, & carne sua divinissima, eundem opipare cibat, nutrit, pascit, ut eum in se transmutet totum, & pene Deum efficiat. Quæ ista Sacerdotes? quæ tanta! quæ sublimia! Bernardum audite in clara valle de Sacerdotalis altitudine, amplitudine, magnitudine, & vix non immensitate differentem extatice: *Magnum proorsus est, & mirabile, Ministrum esse Christi, & mysteriorum dispensatorem - super potestate vestra Sacerdotes! super tam insigni spectaculo, super tam solemnis dignitatis vestrae privilegio miratur cœlum,*

super

*super terra, contremiscit homo, reveretur plurimum celstido.* (1) Succedat mellifluo Aquitanæ lumen, flumenque lactifluum Prosper: Sacerdotes sunt Ecclesie decus, in quibus amplius fulget Ecclesia; ipsi columnæ firmissimæ, quibus in Christo fundatis innititur omnis multitudo credentium: ipsi janitores cœli, ipsi dispensatores in aula Regis aeterni. (m) Hæc talia, hæc tantata si penetrrent cor Sacerdotis, hæc si in statera justa ponderet, hæc si intentis animi oculis acerrime lustret crebrius, Deus bone! quo studio contendet, ne dignitate suæ tam excelsæ aspergat labeculam vel minimam; qua providentia actiones omnes metietur suas, ne vita discongrua, moribus inconcinnis, affectu depravato honorem dehonestet Sacerdotalem. Eja! Sacerdotes! consideremus, qui simus, quam in celitudinem præ aliis sublimarit nos Deus. Profecto ad vitam bene instituendam, ad animæ nostræ salutem procurandam exactius stabimus in Excubiis, quam fortasse factum hucusque: alii erimus ab illis, qui fuimus, & ex toto alii, si continuo ante oculos nostros dignitas nostra obversetur. Amando! quos ex Sacerdotum sublimi tribu vidi mus haec tenus. Scandala seminare, quos in plateis dissolutos cachinno habuit popellus, quos in popinis crapulatos, inconditos derisit, contemplit plebejorum, civiumque turba, quos in cura animarum socordes taxavit vulgus, quos in

(1) Serm. in cæna Domini. (m) In opuse.

de suspecto cum sexu sequiore commercio acerbe notavere Laici, eos nisi, qui dignitatis suae oblii in infima prolapsi sunt Deo, Ecclesiæ, officio suo maxime injurii? *Sacerdos non est, qui pro Sacerdotis dignitate non vivit* Sancti Nili sententia est. (o) Salviani Massiliensis dicta probe advertite: *Sacerdotes tanto anteflare ceteris oportet devotione, quanto antestant omnibus dignitate: nihil enim est turpis, quam Excellentem culmine, & despicabilem vilitate.* (p)

## II.

*Sacerdos præ aliis, ut bene vivat, bene tempore utatur.*

Postquam inspecta summa Sacerdotii dignitate, qua præ omnibus mundi civibus aper-te fulgemus, non parum ad vivendum bene fuimus exstimulati, ad inspiciendum temporis pretium, ad bene vivendum itidem a Deo con-cessum nobis præ aliis animum intendamus: Comes vitæ humanæ tempus est; tempus va-gienti in cunis infantulo jam adeat, calculat-que dies, quibus in terra moratur adhuc te-nellus. At dolendum, quod pretium ejus nesciat pusio, vitam vivens animalem dunta-xat, ligata adhuc mentis operatione. Tum enimvero primum thesaurus temporis pensan-dus

(o) In tract. parænet.

(p) Lib. 2. ad Eccl. Cath.

dus est, cum Lumen oboritur rationis, & intellectus aurora appareat, mentisque diluculum. Facest mundus cum omnibus, quæ gazas inter numerat suas. Tempus, tempus prout in annos, menses, dies distinguitur, & momentula, divitias orbis exsuperat omnes, utpote homini ad bene Deo, sibique vivendum datum, & indulatum unice. Annos nu-meramus, vitæ nostræ nuncupaturi ætatem, ast vitæ bonæ habituri rationem, virtutisque senectutem, eos numeremus tantum, quos be-ne impendimus. Quot moriuntur senes pueri, dilapidato vel ad nihil agendum, vel ad aliud agendum, vel ad male agendum tempo-re! Quot econtra obeunt pueri senes, qui modicum temporis spatium insumperunt op-time! Inter gaudia sane non extrema in celo perennia ponunt electi vitæ suæ dies terre-stres meritis, ex virtutum ininterrupto exer-citio fuisse faecundos, sicut damnatorum poe-na ultima non est, si, pleraque temporis in-tervalla vanitati, deliciis, sceleribus immolata fuisse, infelissimi recordentur. Utinam recluso tartaro eorum, auribus adlaberentur no-stris suspiria, quibus, incassum tamen, temporis jacturam ignitis deplorant lacrymis: *O! si daretur horula! damna fleo rerum, sed plus fleo damna dierum.* Confirmat ista Divus Antoni-nus: *tam pretiosum est tempus Fratres! tam pretiosum, quod damnati darent omnes the-sauros mundi, si haberent in potestate sua, pro ha-*

*bendo momento temporis.* (q) Veritates inter aeternas recensetur ista Sacerdotes Dei! Deum Homini tempus ideo assignasle tantum, ut omnes ejusdem partes etiam minutissimas in bene, & sancte vivendum, in animae immortalis suae impendat curam. Verum, si laicos consideremus, quantum illis rapiunt temporis negotia Sæculi, rerum temporalium sollicitudo, reique domesticæ moderamen! Vos compello Sacerdotes! quibus tam large de temporis amplitudine providit Deus, ut pro vitæ Sanctæ institutione plus conferre haud potuerit optimus dispensator. Abiit a mundo Sacerdos, ut semotis Sæculi turbis Deo, sibique invigilaret tantum - - - recessit a Sæculi tumultu, fugitque in tabernaculum, ut salubri quiete rebus divinis expeditius incumbéret, ut vacaret saluti suæ promptius - - - ut nullius particulæ Diei bonaæ faceret dispendium. - - - Mentitur, & effronter mentitur Sacerdos, temporis penuriam qui accusat, tempus deesse sibi qui conqueritur. Christum audiamus, Apostolos suos sic compellantem: *tempus vestrum semper est paratum.* (r) - - Et nunc quid hæc Sacerdotibus jure dici poterit: *tempus vestrum semper est paratum?* ut orationi, rerum cœlestium contemplationi, mentis recollectioni, piæ lectioni vacetis, *semper est paratum.* - - Nihil vos moratur, impedit nihil, ut duodecim horas diei ad studii salubris occupationem,

(q) Part. 2. Art. 6.

(r) Joann. 7.

collocetis, *tempus vestrum semper est paratum.* Tempusne vobis desit, ut familiae vestrae salutares præscribatis regulas, ut qui Patrimonium Dei, & Ecclesiæ, de quo vivitis, administratis, studio indagetis ratiocinio, ac de rebus, & ornatu templi cogitatis ferri? *Tempus vestrum semper est paratum.* Quidne vobis obfit, ne ægritudine decumbentes, præsentia vestra, & verbo solante, vestras invisatis ovi culas? ne pueros pastorios cum brutis brutescentes primæ doceatis fidei Rudimenta? & timorem Domini ne parvulis frangatis panem in compitis, neve Cathedræ vestræ divite provideatis in futuros Sermones promptuario? *tempus vestrum semper est paratum.* Sed audio nonneminem in has querelas erumpere. Sacerdos sum, fateor, sed beneficio potitus sum, cui præster sacrificium Latreuticum laboris Apofoli ci annexum est nihil; suggestus confundendi nulla mihi tribuitur Facultas: confessiones poenitentium ut audiam, nulla me stringit obligatio. Labore vaco indies, &, ut putri consummar ab otio proximus sum - Condolendum est revera sic querenti. Verum est illud: *Beneficia simplicia tristes sunt ad vitia.* Condolendum est sic querenti, sed deferendum nihil lamentis. Qui nihil agendum sibi credit, quod agat, plurimum habet, ut animæ suæ ab otio caveat, quod malorum sentinam Bernardus, vivi hominis sepulturam, & virtutum novercam Augustinus, matrem peccati,

ti, & immunditiæ Hieronymus, omnium vi-  
tiorum Magistrorum Chrysostomus, scelerum  
carnalium incentivum Thomas Angelicus, Sa-  
thanæ culcitram & pulvinar omnes una Pa-  
tres vocitarunt. Simplicissimus Beneficium  
occupas simplex, si animæ tuæ levia impen-  
dis, breviaque momentula, cui inter saeculi pe-  
ricula anni multi non sufficiunt; Meditatio  
longior si mentem fatiget tuam, breviorem  
repete saepius, ne acedia pereas. Lectiones  
honesta muscas otii abige, & torporis cini-  
phes. Virum vita proba instructum conveni,  
ut tempus salubre tibi defluat, & fructuosum;  
Labore Clericum non indecente falle horas,  
si habueris vacuas. Stato tempore pensum  
Canonicum recita, & saltem, quod in vinea  
Domini Laborare desideres, ostende, desidera.  
Segnitiem nescit, qui, ut omni die melior sit,  
attendit, & ad coelum aspirat salutis suæ  
amans. *Omne tempus, in quo te meliorem non  
senferis, hoc æstima perdidisse,* pungendo des-  
dem Sacerdotem Hieronymus monet. (s) Ac-  
cusatoris severi vices in Judicio sustinebit tem-  
pus. - - - *Vocabit adversum te tempus.* (t) Sacerdos piger! aderunt horæ, momenta  
aderunt, quæ in otio, in malorum Societate,  
in commessionibus, in popinis, in culcitra  
vel nihil agendo, vel alienum ab officio tuo  
agendo, vel male agendo luride dissipasti. - -  
Aderunt, aderunt, & ut damnationis tuæ ter-  
ribi-

(s) In Epist.

(t) Thren. I.

ribilem subscriptant sententiam aderunt, ade-  
runt. Fugiamus otium Sacerdotes! æsti-  
memus, conservemus tempus: particula bo-  
nae diei non sine vitæ nostræ melioratione  
prætereat. Flevit amare super Solymæ  
civitatem Dominus. Ecce lacrymas fudit  
Dei Filius urbi commisertus tam ferio? lo-  
quentem audite: *Quia si cognovisses Et tu, Et  
quidem in hac die tua, quæ ad pacem tibi.* (u)  
O! cognoscamus in hac die, in hoc vitæ tem-  
pore, quæ ad pacem, ad animæ nostræ salu-  
tem, ad utilitatem proximi, ad officii Sacer-  
dotalis complementum nobis sunt concessa,  
nisi fata Solymæ velimus experiri. Horren-  
da sunt, quæ Petro Damiano debemur ver-  
ba: *Impossibile est, ut Sacerdos otiosus, qui re-  
rum familiarium curis nimis opprimitur, qui col-  
loquendo turbis popularibus quotidie admiscetur,  
mundo corde sanctis valeat interesse mysteriis.* (x)  
Ruminemus, premamus ista! - - -

## III.

*Sacerdos præ aliis bene vivat, animaque  
salutem curet suæ, qui præ aliis remedia  
bene vivendi accepit.*

Fastidio ne vobis sim Sacerdotes Dei! si gra-  
tias Sacerdoti indultas desuper iterum in  
medium proferam, hoc sciatis velim earum  
me

(u) Luc. 19.

(x) Opuscul. 26.

## Meditatio I.

me heri fecisse memoriam, ut amoris incentiva sunt; hodie, ut dignitatem Sacerdotis collystrant: nunc vero, ut salutis æternæ vitæque sanctæ validissimæ sunt promotrices, eas exponere mihi liceat. - - Illud fertile, foecundumque solum communiter dicimus, quod propria pinquescit gleba, & pluviae, rorisve antelucani stillicidio in tempore opportuno irrigatur, solisque radiis patet. At vero quid aliud de corde hominis poterit præsumi, quod molle, quod flexile, quod carneum, non lapideum, profluentibus e manu Dei gratiis incessanter obruitur, abundantissime irroratur? gratiæ Dei tantam esse efficaciam scimus, ut e Saulis Pauli, e publicanis Apostoli, e lapidibus stieri Filii Abraham possint. Nemo dicat gratiam, remedia salutis, deesse sibi: se gratiæ deesse, remediis se non respondere confiteatur necesse est, qui illi repugnat per vicax, his vecors non utitur. - - Mundum peragremus, qua late, qua rotunde patet, status hominum omnes dispiciamus fixo, acrique obtutu: dicamus dein ingenuæ, quod Sacerdos præ aliis mundi incolis ratione præditis, præ aliis singillatim, præ aliis universem acceptis, in gratiarum Copia, in mediiorum adipiscendæ salutis abundantia major, ditior, amplior existat. Ita verissimum dicimus, irrefragabile pronuntiamus, maxime indubium asserimus. Sacerdoti Deus præ aliis gratias bene vivendi, æternæ salutis remediæ, contulit, ita quidem, ut denuo quasi dictum ex oraculo cor-

cortina sit, Sacerdotem, quin medium sit, esse debere vel ex gratiarum usu Sanctum, vel ob earundem neglectum reprobum, damnatum. - - Heu! Sacerdotes! an non ambæ vobis aures tinniant? An toto non contremiscatis corpore? Reprobum vel Sanctum! - - Sed res sic se habet, quin ambigatis vel minimum. Ex innumeris gratiis, salutisque consequendæ, acquirendæque sanctitatis summæ remediis, duo tantum delibo. Sacrificium Missæ fons primus est, ex quo in Sacerdotem tot tantaque scaturiunt bona, ut satis nequeant explicari, reducique in compendium. Quis ille est Sacerdos! quis ille, quem e cœlo potentissimo illo verborum quaternario in terram evocas? - - quis ille, quem manibus tractas indies? - - quis ille, quicum in altari conversaris? nonne Jesus est, cui Ioannes Evangelista hoc textit Elogium: *De plenitudine ejus omnes accepimus, gratiam pro gratia.*

(y) Nonne Jesus est, Salvator, Redemptor, amator tuus, cui Seraphicus Doctor, hos condigne attribuit Honoris titulos: *Iesus est fons dilectionis, & pietatis, fons odoris, & sapientiae, author scientie, consiliator casti consilii* - - Item: *corpus Christi agris medicina, peregrinantibus via est, debiles confortat, volentes delectat, languorem sanat.* Et en! Sacerdos! hunc intimo quotidie convenis contubernio,

hunc

(y) Joann. x.

hunc cibas, hunc sumis quotidie, & in pectorre recondis tuo. - - - Fortius, potentius, majus quid pro tuo in virtutibus profectu, promentis tuæ reformatione, pro coercitione passionum, vastissimo ex omnipotentiae suæ gazzophylacio suppeditare poterit Deus? qui sic dilexit mundum, ut filium suum unigenitum daret semel in Redemptorem, hic ipse eundem tibi mittit quotidie in nutrimentum - Simeonem in templo considera, vetulum justum, timoratum, expectantem redemtionem Israelis. Divinum in ulnas tantum accipit puellum, stringit tantum, conspicit tantum, qua extasi, quo amore non æstuat venerandus filicernio? quibus desideriis non exardescit spectabilis canitie vir, in quas amoris facundissimi voces non erumpit Edentulus Senecio? Nunc, nunc, nunc dimittis Servum tuum Domine, quia viderunt oculi mei salutare tuum - - - nunc, nunc Domine! Quis tibi sensus Sacerdos! qui Jesum non accipis in ulnas tantum, non portas tantum, non tantum vides, sed manducas, sed animæ coadunas tuæ, sed in intimum cordis tui transmittis penetrale. - - - ardesne plenissimo amoris incendio? concipisne efficacia vitæ sanctius formandas vota? Sursumne ad cœlum anhelas, rerum terrestrium fastidiens nugas? morine cupis, & esse cum Christo? Exclamasne, nunc dimittis servum tuum! nunc teneo te, nec dimittam? Quid immutarunt in te hucusque carnis, sanguinisque sanctissima condimenta?

Tu

Tu, qui terrenis edulis saginatus, amplum satis circumfers abdominis promontorium? quæ sanctitatis ostentare poteris a quotidiano Angelorum convivio incrementa? Sanctiorne, meliorne es, Sanctissimum, Optimum manducando quotidie Jesum tuum, Deum tuum, Dominum tuum? Quem Sanctitatis gradum attigisti jamjam, cum unicum Missæ Sacrificium, solæ Sacerdotij tui Primitiae pro perfectionis summæ suissent compendia? quo supercilioso, qua authoritate passiones moderaris tuas, epulo uno Eucharistico amandandos utique thulem usque? Sapitne adhuc mundus tibi? in deliciisne tibi adhuc sunt levissima fæculi irritamenta? dapibus cæli pastus es toties! - - - cogita - - respice te - - - cur palles? quis pudor repentinus os tuum subit abacto pallore? altum suspiras - - conscientiae nonne audis objectamenta, tot jam annis sacris operaris tu, convivia numera, quæ inter angelos adjisti in altari refectus opipare, epulans splendide - - Et proh dolor! ab hominibus Sæculi distinguor, quos sanctiores, meliores me conspicor - - adhuc in me vivit Adam vetus, adhuc mores exhibeo pétulcos; adhuc caro bella movet Spiritui, adhuc concupiscentiae mancipium vivo: adhuc, proh adhuc de Mundo sum - - sed consuetudinem causaris, qua diebus sacrifices singulis, hanc temporis, hanc fructus exigui incusas? - - deciperis - - negligentiae tuæ malum imputa, qua sine præparatione, sine reflexione aram acce-

F 5

accedis; e curis Sæculi, e confabulationibus erumpens, tremendum occipis sacrificium: perfunctorie, distracte, præproperè sine sensu, sine Spiritu rem perficis summam, exacerbatis in te miserum Angelis, invito Jesu. Negligentiam tuam læsæ Majestatis ream accerse, qua fine compunctione, sine virtutum Theologiarum Exercitio in stomachum tuum, fors hæsterna adhuc cræpula faetentem, temere Deum præcipitas - - ad extra mox effunderis iterum, recessu substituis excessum non in Jerusalem, sed in mundi levitates, quas sequeris, tibique familiares admodum habes - - tepr, mentis luriditas, non consuetudo, non quotidiana Synaxes minutissimi vel nullius profectus tui causæ sunt - - Non desipiunt sancta, fastidium nullum creant cælestia: nam Idem in cæli Indigenis amor est, fervor idem, etsi Deum æternum visione contemplentur intuitiva - - Nauseæ manna sit Israeli e nubibus dietim, excepta Sabbathi aurora, deciduum, cibi levissimi despectum nomine, non desipiet Jesus in Eucharistica bucella, qui eundem novit. - - Ecce! tu pulcher es dilecte mi! & decorus! (z) Exclamavit in canticorum cantico Sponsa. Unde vox ista erupit, admirationis plena post oscula, post colloquia diuturna, post longissimi temporis complexus: nimirum docuit nos sponsa artem fruendi Deo perfectissimam. Ita senescere debet consuetudo

cum

(z) Cantic. 4.

cum sponso, ut tamen non senescat. Renovari debet de die in diem adeo, ut post annos, in ultimis senii mensibus, exclamare posfit: *Dixi, nunc ceipi. Ecce tu pulcher es, dilecte mi!* & decorus. Minime familiaris esse debet cum Deo familiaritas. - - Qua primum sacris operari Sacerdos cœpit, eadem reverentia, eodem fervore sacrificiis infistat in posterum, ut vitæ augescat sanctimonia; nec retinendæ, amplificandæque amicitiae ullum remedium opportunius est, quam ut nova semper in Jesu pulchritudo videatur. - - - Omni die in Filio Dei Eucharistico recentes deteget delicias, si omni die ea sacrificio præmittat, quæ temporem inferis dignum arceant, excitent sancta illo fuendi desideria. - - - Ad aliud remedium progrediamur vitæ perficiendæ expediens, quo Sacerdoti præ aliis prævidit Deus in Sacerdotis profectum oculatissimus; Meditatio est diurna, tot pharmacis fæta, ut Sacerdos præ aliis medeatur sibi. Eruntne Sacerdotes? pudet quærentem. Eruntne Sacerdotes, qui Sacrae Meditationis vel nomen ignorant? Eruntne, qui eam insuper habent, nec quadrantem saltem horulæ rerum salutarium contemplationi impendunt? Monstra, animæ suæ Latrones, vitæ suæ deturpatores pessimos dixeris non Sacerdotes; nomine viri Spiritualis (eines geistlichen Herrn) passim Sacerdos venit, debitissima sibi nomenclatura. - - - Ain! Venerabili quomodo hoc titulo condecoretur, qui meditatione diurna Spi-

Spiritum non fovet suum, nullam pro bene vivendo dietim feligit tesseram? Jentaculo de mane studiose stomacho providet suo Sacerdos vel ex foliis Indicis, vel ex Arabiae Fabis, vel ex Fructu Cacacio, vel ex succulentiore offula constante (vina, liquores Chymicos pro obsonio matutino potant homines ultimæ fortis, exusti ventricorum cibani, tabernarum mancipia) & anima patietur famem Spirituali jentatione destituta, sacro privata refrigerio? Davidem considerate, non thuribulo sed armis natum, Principem irretitum bellis, fessum negotiis, curis distractum regiis, causis occupatum forensibus; quid loquatur, audiamus: *Nisi quod lex tua meditatio mea est, tunc forte periissim in humilitate mea.* (a) Erubescere Sacerdos! Deo, Sanctuario, tibi natus duntaxat, si tempus deesse tibi quereris, quo alta, sancta, ascetica speculeris intensius. Quis vitam tuam nævis abundare, vitiis turgere, scatere maculis prudenter non autumet? quis mala mentis tuæ deliquia, quis mores distortos tuos, quis heu! pudet dicere - - - in neglectum meditationis diurnæ non refundat, quam inter animi cruciatus, & animæ equuleos rejicis? - - Eja! scrutemur nosmetipsos, num remedio hoc vitae sancte instituendæ præ aliis utamur indies? quo se habeat loco amor cœlestium in meditatione exardescens? Qam Bernardus summam philosophiam, Hieronymus animæ pabu-

(a) Psal. 118.

pabulum, Bonaventura cordis cum Deo, & Dei cum corde vocat collocutionem. (b) Scrutemur nos ipsos - - - quid jam superesse nobis credamus, quam ut Crucifixo advolvamur una, morantes nihil.

## COLLOQUIUM.

Audite cœli, quæ loquor, & terra audiat verba oris mei; Audi me Domine Deus meus, Salvator mi, pro me in crucis trabe horrida pendule! vocasti me ab æterno, ut serviam tibi. In dignitatem summam Sacerdotii extulisti me præ aliis, tot tantaque pro salutis meæ remedio contulisti temporis momenta, tot adminicula vitae sanctæ præ aliis, protensisima in largitatem manu, mihi donasti. Nunc agnoscō, nunc mihi perspicuum, nunc manibus palpabile est, quam me excusare non possim de vita mea tam imperfecta, nævis, sordibus, defectibusque tam infecta. Sanctum me esse voluisti impensissime, ut Sacerdotio meo honorem omnem conferrem, nihilque illi ornando prætermitterem; verum enim vero, ut confitear, adigor, me caræcteris mei plane immemorem, saepius non ut bene, sed ut commode vivam, curasse. Quo abierte tot temporis pretiosæ particulæ, quas vanitas, quas rapuere nugæ, non æquissima anxietas, ut eas ad bene, ad sacerdotaliter, ad clericitaliter vivendum collocarem? Quid emolumenti

(b) Variis in opusculis.

menti e' tot missae sacrificiis hausit tepidus,  
piger, iners servus tuus? Ah! Jesu! parce  
reatum confitenti suum. Ignosce Poenitenti,  
quod te sub specie panis & vini latente  
Deum obtulerim Dño Patri tuo sine cordis te-  
neritudine, sine animi esurie, sine amoris flam-  
mulis, sine cordis anhelitu, cito, indevote, fri-  
gide devoraverim te. Tunc enimvero verum  
erat: *Nunc tradetur Filius hominis in manus pe-  
catorum.* Tunc dicere poteras reapse: *Manus  
tradentis me mecum est in mensa,* cum sine per-  
fectionis studio, sine fervore, ex mera consue-  
tudine, amore lucri, acquirendique stipendii,  
e coelo in terram traxi te, Judae imitatus Exem-  
plum dicentis: *Quid vultis mihi dare, & ego  
eum vobis tradam.* Quos Pyrictaeos montes  
exsuperandos mihi putabam, dum meditatio-  
nis diurnae mihi occurrebat nomen? Quam  
alia nunc foret vita mea, quam altius in vita  
Sacerdotalis eluctatus fuissim perfectionem,  
si dignitati meae vixissim conformis? Altaris  
tremendo mysterio accessissim ferventior, con-  
templationi me dedissem solertia. Alio por-  
ro, tua me adjuvante gratia, erit vita mea  
methodus. Considerabo, quis sim, nec amplius  
Sacerdotii mei honorem dehonestabu-  
vel minimum. Tempus a te concessum mihi  
omni conatu pro reformatione morum meo-  
rum ut decurrat, curabo. Summum Sacri-  
ficium, immaculatam hostiam, ut Sanctus  
sim, ut tibi complaceam, offeram O Jesu! Pa-  
tri tuo, & te in illis ardentissimo corde, ani-  
mi

mique præsentia singulare. Tandem, ut San-  
cta mediter quotidie, impedimenta omnia re-  
movebo. Ah! Jesu! da quod jubes, & jube  
quod vis.

## REFLEXIO.

**U**tinam propositis nostris sua non deesset fir-  
mitas, suum robur Sacerdotes Dei! con-  
cepimus ea de vitae Sacerdotalis perfectione,  
ut opinor, satis convicti. Quid amabo! in  
nos poterit posthac maledictus tempor, ubi, qui  
qualesque sumus, intelleximus rite. Ultra  
nos provehiere non potuit hac in rerum pro-  
videntia benignitas Dei, quam in arcanorum  
fuorum arbitros, quibus datum est nosse myste-  
ria regni Dei, qui non in hospites, & advenas,  
sed in domesticos altissimi sumus sublati, &  
eveсти prae Principibus terrae, prae aliis, qui  
Sacerdotes non sunt. Euge! Maximos co-  
natus ad vitæ Sanctitatem exigit officium Sa-  
cerdotale, tot radiis conspicuum. Aliud cer-  
te non habuit celeberrimus ille in Ascensos  
Schola Magister Balthasar Alvarez S. J. ut  
tyrones juvenes ad generosos excitaret ausus,  
quam sublime hoc cogitamentum: *Non dege-  
nerandum est ab excelsis cogitationibus Filiorum  
Dei.* Et revera hanc Doctrinam alte sic im-  
biberant discipuli, ut pro Christo caudem passi  
inter Barbaros, hanc gnomen identidem sibi  
inclamaverint: *Eja Fratres! non degeneremus  
ab Excelsis cogitationibus Filiorum Dei.* Eja  
Sacer-

Sacerdotes! non degeneremus ab Excelsa cogitatione, quod Ministri Domini, & Sacerdotes simus, quorum digni mille mundi non sunt, ut eos diligamus, vita ad eorum regulas ordinata. Omnia respectu nostrum vilia sunt, & vilissima. Respuant corda nostra cuncta, quæ a Deo, a Vita Sancta, nos abstrahunt. Fulmen est, quod Chrysostomus in Sacerdotes vitæ culpabilis detonat: *Non arbitror inter Sacerdotes multos esse, qui salvi fiant, sed multo plures, qui pereant: causa est, quoniam res excelsum requirit animum.* (c) Agamus, patiamur, omitamus. Primum, quæ dignitati nostræ consonant. Secundum, quæ merita nostra exaltant apud Deum. Tertium, quæ dedecori nobis esse queunt. Temporis vel minima colligamus Fragmenta, ne pereant, sed vitæ Sacerdotali profint. Sancta tractemus sancte, proficiamus & notabiliter quidem, & evidenter indies, sanctissimo Altaris Sacrificio, & rerum coelestium scrutinio. O! quam cito vita nostra meliori in ordine stabit, nobis in Lutrum, aliis in Exemplum.

Lectio Sacra brevis ex Thoma Kempensi  
Lib. I. cap. 25. *De Ferventi Emendatione totius vitæ.*

---

(c) Hom. 3. super Act. Ap.




---

## SECUNDÆ DIEI MEDITATIO II POMERIDIANA.

*Sacerdos præ aliis curet, ut bene moriatur.*

Prämissa horis antemeridianis obligatione Sacerdotis, ut bene, & sancte vitam traducat suam, cum illa non minus conneccitur, ut bonæ mortis studio sese occupet, quia animæ totius æternitatisque negotium huic cohæret ex integro: dixi præ aliis, ut dies suos bene, & sancte claudere contendat, quia & moriens munio, ovibusque in Exemplum positus est. Mortuus est sanctissima in cruce primus novi Testamenti Sacerdos Christus, & ecce redeunt ex fuga Apostoli, in quam imbellies Lepusculi abierunt. Morte Magistri sui animati, fortesque facti mortem pro Christo oppetere non dubitant; & quam morte pastoris ædificantur oviculae, si bona? quanto concutuntur horrore, si mala sit? Nihil sane præ Sacerdote utilius magisque proficuum æsimo desiderio bene moriendi; huic præcipue dictum puto, memorare novissima tua: non enim, ut cum Cypriano loquar: *Dignas est accipere in morte solatium, qui se in vita non cogitavit moritum.* (d) Maximi momenti rem,

---

(d) in Epist.  
P. SAILER TRID. SAC.

rem, ut consideremus, habemus modo, cui Theorema hoc præfigo:

*Sacerdos præ aliis curet, ut bene moriatur.*

*Primo.* Mundum æquo animo relinquendo

*Secundo.* Operum bonorum copiam secum asportando,

*Tertio.* Spe mercedis æternæ se consolando.

**PRAELUDIUM I.** Figuremus menti nostræ cubiculum, ibique crucifixi imaginem in medio; dextrorsum Sacerdotem bonum, iustum, sanctum: sinistrorsum malum, immorigerum, tepidum utrumque agonizantem.

**PRAELUDIUM II.** Ah! Domine Jesu, ad cujus dexteram Poenitens Dismas morte justorum, ad cujus sinistram Impius Gestas morte reproborum obiit, gratiae tuæ nobis donum indulge, ut mortis utriusque consideratione bene, non male mori discamus.

### I.

*Sacerdos, ut bene moriatur, præ aliis expeditior mundum relinquat.*

**A**bundat mors amarulentis plurimis, si, pro ut animæ corporisque divisio est, consideretur. Horret eam natura, refugitque cœ omnium

omnium terribilium terribilissimum, quo tota hominis inter dolorum Furores extremos structura dissolvitur. - - Nihil tamen, verissimum dicimus, nihil tamen adeo in fel definit, & amarorem, quam Mundi amor, rerumque temporalium cupido. Siracitîs testimoniū rem aperte corroborat: *O! mors! quam amara est memoria tua homini pacem habenti in sublantiis suis.* (e) Abst, ut credamus Amalecitarum Regem Achabum fuisse solum, qui mortis in confinio stans, acinace Samuelis dissecandus in frusta, altum ingeminisse auditus est: *Siccine separas amara mors!* (f) Homo omnis mundi croceis innutritus, amore sæculi captus, vanitatum mancipium: homo omnis, credite, homo omnis si non aperte, occulte certe corde palpitante, mente perturbata suspirabit: Siccine, siccine, siccine separas amara mors, ubi hæc ingruerit e numero viventium eundem exturbatura. Tunc maxime sævit in hominem amor mundi, tuncque eum afflit magis truculentus, tunc larvam exuit crudelior, dum relinquit in morte amatorem sui, quem adhuc vinculis constringit, & pedicis: dum vale dicit ultimum misero, hoc uno contentus demum, ut sponte, ut libenter non moriatur; quod omnium miseriartum summa est, Ambrosio Mediolanensem præfule suffragante: *Miserum ah! miserum*

(e) Eccli 41.

(f) Ibid.  
G 2

*rum est; hominem invitum mori. (g)* Extra dubium est, Homines saeculi, coelestium oblitos bonorum, rebus mundialibus tenacissimo adhaerentes glutine, cuticulae adulantes suæ hos in morte angores experiri satis; at Sacerdotem æternorum cupidum, a mundi amore alienum, terrena aversantem, hæc pati tormina, his premi angustiis in morte quis credat? de illis Sacerdotibus nullus hic sermo, qui mundo, & saeculo extortes in claustris degunt, rerum terrestrium adhuc insciæ, summa cum rerum penuria conflictantes, intra cœnobii muros carnis osores suæ, hostesque voluptatum. Ad eos Sacerdotes devolvuntur ista, qui in saeculo vivunt: etiam Religiosi ad curam animarum expositi, propriæ œconomiae curatores sunt, negotiis ædium suarum distinentur, hos, inquam, oportet libenter a mundo exire, quia & his verba Christi consonant: *Vos de hoc mundo non esis.* - - Margarita partus freti non est, et si in concha ejusdem procellis, hinc inde feratur. Longissime a Solo Sol distare scitur, quamvis ejusdem radii etiam videantur in lacunis. Angelos esse terræ saeculæ cives quis afferat, et si legationibus in illa fungantur suis? & quare ratione Sacerdos etiam saecularis de hoc saeculo se esse contendat illius memor: *Vos de hoc mundo non esis - - nolite conformari huic saeculo. (h)* - - Christus dedit feme tipsum, ut

edu-

(g) Quæst. cur Deus Eccl. cap. 9.  
(h) Hom. 12.

educeret nos de præsenti saeculo nequam. (i) - - Pie vivamus in hoc saeculo. (k) - - Religio munera, & immaculata hæc est - - immaculatum se custodiare ab hoc saeculo? (l) Quomodo proin fiet istud, aut fieri possit, Sacerdotem etiam saecularem ea in amorem saeculi abripi posse violentia, ut moriturus e mundo libenter, ultro, spontanee non exeat? ut lugubre illud siccine, siccine, siccine, dolore absorptus acerbo, ingeminet mifer? - - - Averruncent talia superi! contemplaturi matutius ista cubiculum ingrediamur, ubi in lectulo Sacerdos decumbit probus, vicinus morti, agoni proximus. En! quam serena, quam hilari fronte se habet - - quantam animi alacritatem exhibit, cordis tranquilli interpretem, et si paleat propinquus funeris colore solito. - - - Lætus excipit mortis suæ nuntium, de quo ipsamet differit contentissimus - - - Vetal, prohibet domesticis, ne obitum suum vel unica plangent lacrymula - - - patesfacta de reculis suis vel templo, vel pauperibus, vel usui honesto deputatis ultima voluntate omnium porro, quæ mundi sunt, non reminiscitur - - de Deo, de Cœlo patria sua suavissima loquitur tantum. - - - Exclusa, quæ eum turbare posset turba, cum conscientie suæ arbitro confidenter agit tantum de unico necessario, de animæ suæ salute æterna - - preces, suffragia suorum,

(i) Galat. 1.

(k) Tit. 2.

(l) Jacob. 1.

rum, non gemitus, non planctus, non ululatus expetit sibi - - - Undenam hæc cordis malitia, animi quies, mentis solatia? & in hora quidem naturæ anxietatibus plena, mortualisque sudoris perfusa cataclysmo? O! totus, ut mundum a se propellat, ambit, - - - totus, ut præsens sæculum relinquat, prope diem suspirat - - totus, ut de corpore mortis hujus liberetur, avet - - totus, ut dissolvatur, & cum Christo sit, cupit. - - Nullum, vel exiguum, dum viveret, cum mundo sustinuit commercium, nisi ut faceret meliorem, Deoque illum reconciliaret suo. Beneficii, sui reditus, & æxarium in luxum, in superflua, in supellecilem splendidam expendit nunquam, in pauperum necessitates, in templi ornatum profusior - - Frugali contentus mensula, lautitas sæculi e domo proscripsit sua, aliis hospitalis, parcus sibi. - - Temporalia curabat provide sine questu, utiliter sine avaritia, exakte sine anxietate - - Libertate Filiorum Dei fruiturus semper, vincula a mundo sibi injici permisit nunquam - - a negotiis sæculi, a causarum forensium strepitu procul, sibi invigilavit unice, ne causa in divino tribunali caderet sua. - - Hoc unum in regulam vitae Sacerdotalis scripsit sibi sedulus observator: *Vos de mundo non esis.* Erat enim primæ fortis Vir inter Sacerdotes, illud Isidori Hispalensis pro se usurpantis semper: *Vir Ecclesiasticus crucifigi mundo per carnis macrations*

tiones debet. (m) Hinc flagrantissimum illud votum, & corculi susprium: *cupio dissolvi* - - Hinc exultans in Domino, mali metuens nihil, ad coelum supplices tendit manus - - - hinc summa inter mentis gaudia, dextra crucifixi ori admoveat effigiem, & sinistra lætus accipit cereum mortualem, cujus lumen ceu stellam matutinam, pharumque intuetur, ut securius portum intret interminabilis felicitatis, cæloque mundum permuteat, in quo peregrinus, non civis, vixerat. - - O! pretiosam in conspectu Domini mortem probi Sacerdotis - - - O! beatum Pastoris boni obitum, cuius intuitu omnes una balent oviculæ: *Morianuntur anime nostræ morte justi hujus.* - - In aliam oculos jam deflectamus partem, ubi Sacerdos ultimum expectet, vitæ suæ momentum - - quis fuerit his habetote. Omne, quod vixit tempus mundi adaptavit beneplacito - - tota in hoc ejus laborabat cura, ut Hominum favores aucuparetur - - - corrasis sibi divitiis, nummorum censibus, terræque bonis usuræ studuit indefesse, & enormiter, corpori tamen, & amicissimo ventriculo indulxit omnia, quæ liberent. - - In ara rarus, in suggestu invisibilis, in sacrum tribunal nec cataphracto abigendus milite, ovilis Dominici nec mercenarius fuit. Vestium luxu, mensæ apparatu, crinium, calamistri vestigio rotatarum, cirris,

digi-

(m) Lib. de summo bono.

digitis sine dignitatis vel scientiae nota ob annulos radiantibus, sponso Adonidi similius, quam Sacerdoti apparebat palam. - - De numero eorum non erat postremus, quos Hugo Cardinalis vivo sic depingit colore: nulli tantam opportunitatem pscandi habent, sicut Clerici, qui in divitiis abundant, & otiosi sunt, & honorantur: more militum vivunt de patrimonio crucifixi. (n) - - De Deo, de rebus sacris, de officio Sacerdotis curati, de animarum lucro auditur nihil: commercia, mercaturas, praxes acquirendi, agrorum culturam in problema exposuit tantum Mammonæ infelix mancipium - - De manipulorum, decimarumque collectione tam follicitus vixit, ut unius aristæ iniquius tulerit, quam animarum sibi concreditarum dispensum. - - Hic, hic in vitae extremo positus est, hic in magno æternitatis limine sistit, dolendus mundi assecla. En! ut utrique animæ, corporisque medicò indignatur, mortis propinquæ ferenti nuntium: *Dispone domini tue, quia moriris, & non vives.* En! ut splendida oculo dolente aspicit utensilia, supellectilem opulentam, picturas, vestes delitiis non spiritui consonas, Scyphos, abacos, & quæcunque ei suggesterat mundi vanitas. - - En! ut tumultarie summo pectoris angore substantiam totam ridenti in finum Hæredi transcribat, ad tertium Hæredem vix venturam, exclusis tem-

plo,

(n) Super Hieron. & Iсаiam.

plo, egenis, Legatis piis, anima propria - - & hic agonizare confessim, mori propediem? obstupefcite cœli super hoc, & portæ ejus desolamini vehementer! dicit Dominus: duo mala fecit Sacerdos meus. Me dereliquit fontem aquæ vivæ, & fodit sibi cisternas diffipatas, quæ continere non valent aquas. Obstupefcite cœli! - - - quid vobis videtur Sacerdotes Domini? - - - Nunquid libenter e mundo exire, coelestem properare ad Patriam sumnum in morte Sacerdoti solarium est?

## II.

*Sacerdos præ aliis bona morti operum bonorum farragine prospiciat.*

Paradoxa inter iuste numeratur; mors dum rapit omnia, nihil habet; & inter spolia ditissima eget omnibus. Quidquid in orbe homo possidet, cunctis carere incipit, dum moritur. Invectionis vetitæ merces sunt res saeculi omnes, ubi ad portas æternitatis devenitur. Nec iis, qui felicitatis fugant mammillas, & ubertatis ubere lactantur, ut e fortunæ bonis asportent quid, permissum est. Quantis abundabat gazis Hussitarum princeps, & tamen fassus est cordate: *Nudus egressus sum ex utero matris, nudus revertar illuc.* (o) Opera sola, sive bona, sive mala sunt, hominis faciunt

(o) Job. x.

ciunt comitatum. Quæ sibi de his confarci-  
navit, dum viveret, stabunt a latere semper,  
vel remunerationem acceptura, vel supplicis  
castiganda: *prout gessit in suo corpore sive bonum,*  
*sive malum.* Felix ille, imo felicissimus, qui  
salutis suæ rationem habens, de meritorum  
cumulo providet, sed infelix prorsus, qui  
moriens in pera sua reperit nihil præmio dig-  
num, plurima econtra, in quæ juste animad-  
vertat Judicis æterni Romphæa. *Opera, ope-*  
*ra eorum sequentur illos.* Cui præ aliis conflat  
nihil deesse sibi, unde bona sibi congreget pro  
æternitate, huic nunquid præ aliis exultan-  
dum in morte, si labori pepercit nulli, ut  
plenissimo ditescat commeatu? Et cui amabo!  
Latiores patent campi, jugera spatiofa  
magis quam Sacerdoti, ut copiosa præ aliis  
exultet in messe, & moriens lætiore gaudeat  
falcipendio? certe Gregorius Magnus meri-  
torum acervum Sacerdotali commensurat cel-  
stitudini: *Sicut Sacerdos honore ordinis alios su-*  
*perat, ita etiam eos virtute meritorum tran-*  
*scendat.* (p) Nemo, puto, Sacerdotum erit, qui  
hoc non agnoscat probe, nemo, quem lateat,  
statui clericali mille præ aliis patere aurifodi-  
nas, unde fibi pro vita altera Thesauros con-  
greget dispergendorum nunquam. In cubile se-  
cedamus iterum, ubi juxta crucifixum Sacer-  
dotes lethaliter decumbunt duo, bonus unus,  
malus alter. -- Res utriusque agitur ferio.  
-- O!

(p) Parte 2. Pastor. c. 3.

-- O! terrificam discussionis scenam, qua  
utriusque opera ad pondus sanctuarii libran-  
tut, examinantur distictim. *Liber scriptus*  
*proferetur, in quo totum continetur, ut uterque*  
*judicetur.* -- Ecce! ante oculos agonizantis  
Sacerdotis boni explanantur folia, auro scripta,  
& vix non ipsius solis radis clariora. Euge  
serve bone, & fidelis templi, & altaris mei!  
Maximam mihi Domino Deo tuo adfert vo-  
luptatem vita transacta tua -- probatissimus  
mihi es, cui præmia decernam æterna præ  
aliis, qui præ aliis, ut bonis ditesceres operi-  
bus, adlaborasti. Sit, humana fragilitate te  
sabin declinasse ab orbita, at rediisti cito, &  
fervore duplo reparasti denuo errorem, cau-  
tiorque, ne declinares iterum, in omnem pro-  
spexit partem. Scio opera tua, quibus op-  
timum semper præfixisti scopum, honorem  
meum, gloriam meam -- ab ortu solis pri-  
mitias cogitationum tuarum sacrificasti mihi.  
-- Ut ne me offenderes, proposita in medi-  
tatione indies formasti practica, ut passionibus  
limites poneres, & injiceres frenum, quas in  
te fortiores sensisti. -- Summa animi pu-  
ritate tremendum accessisti sacrificium, nævo  
minimo lacrymis, & compunctione deleto,  
majore coram conscientiae arbitro gnaviter de-  
posito, ut mente illibata carne yescereris mea,  
& meo potareris sanguine -- - - mei solius  
amore, non lucri, non stipendiæ fecisti ad aram,  
opus maximum, agnumque me æterno patri  
obtulisti immaculatum. -- - - Redux ab altari  
pius

piis vacabas exercitiis longius, nec tam repente rebus intendebas aliis, quæ devotionem tuam dissiparent, animumque tuum avocarent a me dilecto tuo. - - - Tempus omne in tuam, proximique salutem insumpfisti, nihilque neglexisti, quod utriusque conduceret optime. - - - Ovicularas a me commissas tibi pavisti sedulus saluberrimo pabulo Doctrinæ sanctæ in hoc maxime industrius, ut vita tua verbo adderet suffragium. - - - Necesitatis tuorum prospexit solers, ægros invisendo, morientibus assistendo, malos coarguendo, bonos confortando, omnibus factus omnia. - - - Operibus misericordiae tum spiritualis, tum corporalis deditisimus, omisisti nihil, quod sanctus a te efflagitabat amor. - - - Ne petra scandali fores cuiquam, omni curabas studio sciens Sacerdotem te esse, qui plantaret, non evelleret, ædificaret, non destrueret - - Sobrietatis amans, castimonia famosus, desidiæ osor, vaniloquio & extravagantiis infensus, functionibus tuis addidisti pondus, Ecclesiæ honorem, Sacerdotio existimationem - - Vestimento contentus simplici, sed modesto, animæ tuæ ornatum quæsiisti magis, quam futilem corporis pompam, ministris meis tam indecoram, oculisque meis intolerabilem - - Remuneratione jam dignus æterna, menses, diesque non habens vacuos, Euge serve bone, & fidelis intra in gaudium Domini tui. - - Veni: coronaberis - - Intra in gaudium, manus mecum in æternam. - - Quantum solatum,

latium, gaudium quantum Sacerdotes! si operibus bonis ita turgeret mors nostra? si divites ita & locupletes transiremus in æternitatem? quam magna nostra tunc esset Beatus? quantæ nos expectarent coronæ? præmia quanta? - - Talesne erimus quandam? vel ex iis pro dolor, de quibus amare iterum Gregorius conqueritur: *Ecce! mundus Sacerdotibus plenus est, sed tamen in messe Dei, in operibus bonis, rarus valde invenitur operator, quia officium quidem Sacerdotale fuscipimus, sed onus officii non implemus.* (q) Ut sapiamus meliora, Sacerdotis mali, cum morte actutum luctantis, Judicium juvat proprius contemplari. Vah! quanta diversitas - - - trepidantem, expavescientem cernit - - - creberimus ut edat gemitus, audite - - - ut tremor gelidus per ima ei currat ossa, ut conscientiæ exagitatus probris oculos in utrumque jaciat latus, ut crucifixi effigiem intueri exhorescat, animadverte - - - Liber Scriptus proferetur, ut Sacerdos malus, tepidus, servus piger judicetur - - - Scio opera tua, & expavi - - - hic ad apicem notata lege - - - testis omni exceptione major erit conscientia tua - - - hæc clamabit, & non tacebit scandala, exiguum tuorum curam, in pauperes inclemenciam, vitam mollem, carnis petulantiam, sacrificia in noxæ lethalis statu miserrimo, dilata contra præceptum Tridentini quam pri-

mum

*num confessione & vicaria interim contritione, maxime suspecta, & insufficiente, celebrata, supinas in rebus spiritualibus negligentias, & quæ demum infanda. - - - Hæc dum objiciuntur desperationis involutus turbine, diei maledicit, qua in Sacerdotem fuerat unctus, qua admotus Parochiæ, bovili quam ovili dignior - - - Heu! Heu! infelicissimum! timet - - tremit - - desperat - - moritur - - Quanta spes cum operibus bonis mori - - quanta desperatio mori cum malis - - o! Sacerdotes Dei! quid ad ista? - -*

## III.

*Sacerdos pre aliis bene mori contendat,  
ut spe mercedis se possit consolari.*

Tempus unius diei vita nostra est, quod tandem in mortis definit vesperam, & horam serotinam. Redeunt ex vinea operarii vocati, ut denarium suum accipiat unusquisque, prout cum patrefamilias convenere in foro. *Cum sero factum esset - - voca operarios, & rede illis mercedem.* (r) Beata merces, quæ labori exantlato, sudori sparso, fideliter, & largiter, & statim exsolvitur. Fidelis Deus est, nihil gratis sibi fieri volendo, *largus* est, plus dat, & majora merito, pactoque labore, *celer* est in retribuendo coronam, *præmia*, munera nec unico retardans momentulo.

Ho-

(r) Matth. 20.

Hodie mecum eris in paradiſo, non cras, non perendie, non post menses, post hebdomades, post annos, post lustra, hodie, hodie, si cætera æqua sint, nec solutæ a carne animæ labeculis sint aspersæ, in igne luſtrico prius abſtergendiſ. *O! Israel, quam magna eſt Domus Dei, & ingens locus possessionis ejus!* - - magnus eſt, & non habet finem - - *Excellus, & Immenſus.* (s) Hic, hic merces, hic coronæ, hic æterna Sacerdotum ſunt pre aliis stipendia, qui pre aliis, ut mererentur, occaſiones natuti ſunt ampliſſimas. Faceſſite terræ gaudia, apage mundi illecebras, procul hinc, procul iſta, ubi ſpes remunerationum æternarum, anhelanti ad veram beatitudinem animæ, dulcissima präbet lenocinia, & suavifſime blan ditur. Dulceſcit, quidquid æger in grabato mortalii patitur ſuo; dolorum abſynthium in facharum mutatur, & promulſidem: mors ipſa, amariffima licet, pre favo ſapit, ſi cœli memoria ſpem ſuffulciat, ex benefactorum recordatione provenientem. *Spes futurorum bonorum*, inquit Chryſtoſtomus, *præſentia incommoda levius ferre facit.* (t) *Magnumque jam præmium ſpem futura felicitatis nuncupavit Plato.* (u) Spem illam dixi, inorienti effe leni mento, quæ ex benefactorum recordatione oritur, & nemo eſt, qui inficiatur: nam protervia eſt, non ſpes, ſi quis malorum remiſſens

(s) Baruch. 3. (t) Hom. 17. ſup. Genet. (u) in Dial. Phædon.

niscens cum Antiocho, quæ fecit in Jerusalemi, in Sacerdotio, obtinendi præmii tenetur fiducia. Sane quid Sacerdos bonus in morte sperare non poterit? quomodo labori suo denarium a magno Patrefamilias non expectet certum, certissimum, qui de liberalitate Dei, de ejusdem Sponsione adeo securus est? non defuere Patriarchis sua præmia sancte promissa, e quibus Abrahæ dictum est. *Ego merces tua magna nimis.* (x) Notate, tua, notate, magna, notate nimis. - - - Patriarcha Sacerdos est suo præfectus ovili - - ovium suarum Pastor - - Christianæ familie suæ præfes - - quid in morte sperare non ausit, si desidiae & negligentiae reum se non sciatur? Quid Apostolis suis non est pollicitus Dominus: *Vos, qui secuti esis me, sedebitis super sedes duodecim - - centrum accipietis - - vitam aeternam possidebitis.* (y) - - - Sacerdotem Apostolum esse quis neget, eatque inficias? Spes quæ illum in morte non foveat, si Apostoli munia se explevisse ad amissim habeat in comperto? - - Martyribus quæ data fide promissa non sunt? beati, qui persecutionem patiuntur propter Iustitiam, quoniam ipsorum est Regnum coelorum - - gaudete & exultate, quoniam merces vestra copiosa est in coelo. (z). Et talia, tantaque non recepturum se speret Sacerdos, qui zelo sancto, & discreto foetus, bene agendo, honorem Dei promovendo, contravenient do

(x) Genes. 15. (y) Matth. 19. (z) Matth. 5.

do malis fortiter, risus sustinuit patienter & opprobria? Confessoribus quæ pacta non signavit Dei Filius? Qui confitebitur me coram hominibus, confitebor & ego eum coram Patre meo (a) - - - Virginesne sponsione caruisse putabimus, a Christo illis facta, qui inter lilia se pasci asseverabat? qui mundis corde Dei visionem singularem promisit? audite: *Hi sunt, qui cum mulieribus non sunt coquinati: virgines enim sunt - - premit! Hi, hi, de masculis loquitur in Apocalypsi vox illa sicut cytharædorum, citharizantium in citharis suis, Hi sequuntur agnum, quocunque jerit: hi empti sunt ex hominibus primitæ Deo, & agno. (b)* Quid sibi non speret Sacerdos in agons, carnis suæ crucifixor, lasciviae juratus hostis, pudicitiae custos, veneris flagellum? o spem dulcissimam! o fiduciam super mel, & favum! coeli atrium morienti cubile mortuale jam est, nectare inebriatur, jam jam de mercede securus sua, dum gelidum, dum amarulentum in lectulo suo sudorem prodit. Qua spe vero lactandum Sacerdotem morientem censemus, vocationis suæ oblitum, officii sui immemorem, scelerum multorum reum, cuticulae suæ amatorem, nec Patriarcham, nisi propudosæ familiæ, nec Apostolum, nisi nomine, nec Martyrem, nisi Dæmonis, nec Confessorem, nisi suimet, nec Virginem, nisi opinione? Horresco referens - - - desperabit, non sperabit - - - Spes

(a) Math. 10. (b) Apoc. 14.  
P. SAILER TRID. SAC. H

Spes salutis supererit nulla, tremor plurimus, timor maximus - - desperabit, non sperabit - - Hæc tunc in se ex ore Domini fulminata sciet: *Muli dicent mihi in illa die, in die mortis, in illa die: Domine! Domine! nonne in nomine tuo prophetavimus in cathedra? in nomine tuo Daemonia ejecimus in confessionali?* in nomine tuo virtutes multas fecimus in altari? *Tunc, tunc in morte, confitebor illis, tunc:* Quia nunquam novi vos: discidete a me, qui operamini iniquitatem (c) - - - Expavescat cor nostrum, omnes tremor artus occupet, hæc dum pensamus certissima. Timor hic salutaris in nobis operabitur plura, si tertio in cubiculum notum duorum Sacerdotum paulisper concesserimus, visuri ultima. Obiit uterque, bonus & malus, ille inter hæc exspiravit suspiria: In te Domine speravi: non confundar in æternum - - - quoniam tu Domine singulariter in spe constituisti me - - - in manus tuas commendando Spiritum meum. (d) - - - Hic adhuc in morte Hypocrita placide in speciem mori visus, introrsum sic cum Juda rugiebat: *Peccavi tradens sanguinem justum Christi toties perfido cordi meo* (e) - - *in terra sanctorum iniqua gessi: non video gloriam Dei.* (f) Utriusque, ut cernitis, funus compositum feretro inclusum est suo. Sepulturæ utriusque dicta est hora. Conveniunt e vicinia Sacerdotes Capit-

(c) Matth. 7.

(f) Iiæ 26.

(d) Psal. 30.

(e) Luc. 15.

Capituli membra, justa facturi utrique, & Exequias. Recitantur vigiliæ pro utroque: *Regem, cui omnia vivunt, venite adoremus - - venite exultemus Domino.* - - Quid agitis Sacerdotes! fistite - - moram vobis denuntio. - - Aptane, & idonea hæc sint pro utriusque funere? Exultate, psallite pro uno: plorate, gemite pro altero - - Et quid, si pro utroque Ecclesiæ dicatis preces? *Deus, cui proprium est misereri semper, & parcere, te supplices deprecamur pro anima famuli tui Sacerdotis, quam hodie de hoc Sæculo migrare jussisti, ut non tradas eam in manus inimici, neque obliviscaris in finem, sed jubeas eam a sanctis angelis suscipi, & ad patriam paradisi perduci.* Eruntne confona ista utrique speranti, & desperanti? quid agatis, expendite! Suggestum ascendat interim Sanctus Ephrem Syriæ orator summus, & utriusque meritis sine palpo, ut in Epicediis plerumque fieri solet, congruum funebrem enuntiet Sermonem. Thæma Scitote istud: *In illa nocte erunt duo in lecto, unus assumetur, & alter relinquetur.* (g) Sic in hæc verba de utroque perorantem auscultetis. Si quis ad dignitatem Sacerdotii velut dignus repertus sit, in eaque sancte, & irreprehensibiliter ambularit, vitam, & coronam immarcessibilem sibi ipse conciliat; sed si indigne quis hanc ipsam dignitatem usurpare sit ausus, tenebras is sibi exteriores, & Judicium

(g) Luc. 17.

*dicium absque misericordia consicit.* (h) Nonne apposite dicta sunt ista? concludamus, quantum insudandum nobis, ut in morte præ aliis speremus: quantum curandum, ne præ aliis desperemus. Flectamus genua, aspiciennes in auctorem Fidei & consummatorem Jesum!

## C O L L O Q U I U M.

**A**spice in me, & miserere mei Deus! vitæ meæ, mortis meæ Deus! Jesu crucifixe! scio, & nulla non die video, *statutum esse hominibus semel mori.* Et me ferali huic sententiæ obnoxium esse scio. Veniet hora illa magna, hora terribilis, ut exeam ex hoc mundo ad Patrem, ad te judicem meum. O! rem plenam discriminè pro me misello. Tunc maxime recordabor, fuisse me Sacerdotem, cui præ aliis convenisset utique, ut pro animæ meæ salute æterna, pro morte bene obeunda, fuisse sollicitus, pro hoc unico necessario studiosus. Ah! quantum detinuerunt me, quantum occupabant cor meum leviculae nimis murdi nugæ, & quam pertimesco, ut morientem me complectantur adhucdum, dum ab illis peregrinari procul, dum eas relinquere, in æternum relinquere debebo, abiturus in æternitatem; bonorum operum quam exiguum, ut ea pro morte bona colligerem, habui curam: & quæ me torquebit anxietas, inter tot salutis remedia, occasiones tot, me fer-

vum

(h) de Sacerd.

vum extitisse pigerum, pigerrimum? Quæ mercedis æternæ mihi affulgebit spes morituro? ubi dies pleni non invenientur in me? ubi non videro nisi menses vacuos? sed adhuc vivo Domine Jesu! adhuc viator sum, adhuc spiro. Alio jam tramite instituenda est vita mea: alio jam calle mihi incedendum erit, ut mihi, ut animæ meæ consulam. Vivam, sed non mihi, sed tibi Salvator amantissime, qui pro me vivisti, & pro me mortuus es. Valeat jam mundus, ut tibi adhæream foli. Dirupisti in hac meditatione vincula mea: gratias ago ex corde intimo. Emisisti lumen, ut e saeculi hujus compedibus me extricem, & liber in amore tui solius moriar. Remedia amplectar omnia, ut operum bonorum negotiatio mihi comparem thesauros in cœlis, qui non veterascunt, quos ærugo non demolitur nec tinea, quos fures non effodiunt: ut in spe sancta, & inconcussa, in fiducia plenisima, in osculo tui, sanctissimorumque vulnerum tuorum moriar. Parce mihi Domine: nihil enim fuere dies mei. O! acerbum nihil sine spe præmii. O! jacturam deplorandam amarissime. Servabo depositum, quod pretiosissimum dedisti mihi, ut illud salvem vita sacerdotali bona præ aliis, morte bona præ aliis. Deus in nomine tuo salvum me fac. Miserebor animæ meæ, miserebor.

## REFLEXIO.

**L**eave! confideamus paululum -- denuo sancta Salvatori detulimus Crucifixum propria, utinam duratura ad ultimum usque viæ halitum. Moriemur Sacerdotes! moriemur. Faxit Deus, ut bene; sed non deerit nobis optimum Dei adminiculum, ut moriamur sancte, qui nullius vult mortem nisi bonam. In nostra manu situm est certe maximum mortis negotium, ut animæ nostræ eveniat auspicatissimum. Dirumpamus vincula eorum, quæ mundi sunt, ut moriamur tranquille; operibus bonis ex tot remedii agglomerandis satagamus strenue, ut moriamur expedite: speremus in Domino, & faciamus bonitatem, ut moriamur sancte. Verba Magni Gregorii, dum ea in Breviario legimus, consideremus intime, in mortem boni, & mali Sacerdotis maxime apposita. *Aperire Judici pulsanti non vult, qui exire de corpore trepidat, & videre eum, quem contempisse se meminit, Judicem formidat.* -- *Qui autem de sua spe, & operatione securus est, pulsanti confessum aperit: quia luctus Judicem sustinet, & cum tempus propinquum mortis advenerit, de gloria retributio- nis hilarescit.* (i) Consideremus, consideremus ista: proderunt, proderunt, ut bene vivamus, ut moriamur bene.

Lection ex Thoma Kempensi Lib. I. cap. 23.

De meditatione mortis.

Lytaniæ Lauretanæ pro felici morte.

DIES

(i) Hom. 13. in Evang.

## DIES TERTIA.

*Negotium Sacerdotis tertium salus proximi.*

## MEDITATIO I.

## ANTEMERIDIANA.

*Sacerdos præ aliis proximo prodeesse debet Doctrina.*

**T**ertiae Dici aurora expergefactis, ad ea consideranda sternitur via, quæ proximo debet Sacerdos, postquam obligationum suarum in Deum, & semet ipsum tendentium commonefactus est satis. Hoc dubium rejicit omne, tamenque aversatur controversiam, Sacerdotem præ aliis in salutem populi esse constitutum. Omnes enim, quotquot homines sunt, amoris, & charitatis vinculo inter se colligavit Deus ita, ut unicuique mandaverit de proximo suo. (k) Non modo quæ temporalia concernunt adjuvamina, sed quæ animæ salutem respiciunt. Huc maxime se extendit genuina Christianorum dilectio, quæ exinde major, & nobilior est, quo bonum excellentius, quale animæ salus esse dignoscitur, præ oculis habetur, & curarum scopus est. Hoc præmisso evi-

(k) Eccli. 17.

H 4

evidentia per se patet ipsa, Sacerdotem, tanquam *communem orbis Patrem*, ut a Patribus vocatur, eum in finem præ aliis esse ordinatum, ut animarum invigilet bono, easque nulla omissa sollicitudine lucrifaciat Deo, qui eas ad sui effigiem creavit, salvandas æternum. O! admirabile, & sublime commercium, incumbens Sacerdoti, quo majus nec Imperatorum jura, nec Orbis universi habent gubernacula. Duo sunt, in quæ intensissima Sacerdotis præ aliis collimet industria, ut proximo prospicit Doctrina, & exemplo. Primum erit meditationis antemeridianæ ampla materies, succinctim tractanda tamen. Alterum horam considerationis pomeridianam occupabit. Sit ergo hæc in propositum thesis fixa.

*Sacerdos præ aliis Doctrina proximo  
prospicit sua.*

*Primo.* Parvulis.

*Secundo.* Adultis

*Tertio.* Ægris, & morituris.

**PRÆLUDIUM I.** Mente Ascendamus in montem denuo, quem constituit discipulis suis Jesus, antequam coelestia confunderit, sefurus in Paternæ dexteræ fastigio; nos insuper Sacerdotes illic fuisse simul opinemur, dum hæc pronuntiaret amantisimus in coelum Viator. *Ite in mundum universum, & prædicate Evangelium omni creature.*

PRÆL

**PRÆLUDIUM II.** Patrem contemplemur pro vinea sua omni hora sollicitum, dum summo mane, quod ad Apostolos pertinebat, hora tertia, sexta, nona, quæ succedentibus temporibus eorum propioribus, & remotioribus successoribus deputabantur, demum undecima, in qua nos vivimus, conventione facta mandavit. Ite in vineam meam. Omni cum animi demissione procidamus coram Paracleto, petamusque lumen ab alto.

### I.

*Sacerdos præ aliis parvulos instruat.*


Seminarium orbis qui juventutem dixit, bene dixit, & licet ista cum pueritia idem non sit, si vitæ humanæ gradus, ut ætates distinguimus, de ambabus tamen loqui coram insulsu non est; imo necessarium. Ab unguiculis ad ungues crescimus, & qui hodie pueri sunt, & juvenes, ad ea demum ascendunt officia, quæ senes prudentia cani, barbatique pro universi bono videmus in aulis, in dicasteriis, in castris, in templis, in campis pertractare. Quam vellem, ut immensa pene omnium puerorum, juvenumque coram oculis nostris versaretur caterva, quæ hodie dum in orbe vivit, nosceremusque una, qui eorum ad Regum cidares, ad Antistitum mitras, qui ad Heroum galeas, & Procerum galeros, qui ad Sacerdotum birreta, qui deni-

H 5

que

que ad rusticorum petasos essent nati - - & en! quid optaremus aliud Voto pio, quam ut hi omnes pro orbis totius felicitate in Religione orthodoxa, in timore Domini educarentur probe, evaderentque in virtutis cultores, in æstimatorum Sacerdotii, in amatores proximi genuinos. Orbi profecto probandum esset hoc votum, utpote ejusdem consulens emolumento: quam econtra suis immineret ruinis respublica, dareturque pessum, si, qui nunc juvenes, puerique succrescant, in Religionis persecutores, in latrones Sanctuarli, in bonorum morum vastatores, in contemptores ipsius Numinis, in Sacerdotum evaderent Mastyges? Quantum ingemiscunt, melius sentientes, depravatae hodie dum prolium educationi, parentum incuriae, dum optimæ spei plantulæ in dumos & fenticenta, in cicutas, & napellos degenerant Christianæ instructionis defectu? - - - Dolentes cernimus passim, viperas viperas parturire, Hyænas Hyænas generare, vultures gignere milvos, hoc est parentes improbos prolium pessimarum procreare colluviem. - - - Væ mundo a scandalis, si, qui coercent optimis vitæ regulis juventutem, non sint, &, qui a Draconum ubere abstractos parvulos lacte potent meliore, non reperiuntur. *Juventus fera est*, inquit Chrysostomus, *quæ plurimis indiget instructoribus, Magistris, Pædagogis, atque nutritoribus; (l) maximeque*

(l) Hom. 9. Sup. i. Timoth.



*meque intendendum est circa disciplinam juventutis: nam hæc neglecta in civitatibus afferit reipublicæ detrimentum.* Aristotelis Ethnici monitum est. (m) Toto aberrant coelo, qui parvulos prius in homines, quam Christianos formandos esse contendunt: qui, ut maturius perversa mundi imbibant principia, quam prima Religionis discant dogmata, tota facundia declamant. *Initium sapientiae timor Domini - - corona sapientiae timor Domini - - sapientia, & disciplina timor Domini - - Spiritus Sancti monita seria sunt, quæ alte juventus imbibat moderatorum studio, quos inter Sacerdotes numerantur, excellentiori animarum curæ præfecti. Maestæ Sacerdos, &, quos in paræciæ tuæ districtu parvulos, juvenesque vides, custodiæ tuæ concreditos puta, & instructioni - - Cera sunt, cui vel Angeli, vel Sathanæ imago potest imprimi - - tabula rasa sunt, cui formam noctuæ vel columbæ appinges pro libitu - - animas in iis contemplare pretiosissimas, creatas a Deo, Christo sanguine redemptas in cruce, a Spiritu Sancto sanctificatas in baptismo. Quis nisi Barbarus, nisi effrus & crudelis Innocentulus addictus non est? -- Amorem sibi conspiciunt tenelli passim, ætatis suæ flore conspicui: & quantum in animo dolorem sentires tuo, si eos vel a Leonum, vel tigridum unguibus discerpi, vel ab Achabio impio in Molochi brachiis torqueri, vel ab Hero-*

(m) L. 8. polit. c. 1.

Herode in frusta videres secari? - - Lanienam nonne persentisceres ipsemet, & ut succurreres misellis, operam impenderes omnem? attentum hic te volo Sacerdos! & attentissimum quidem. Non agitur hic de carnis innocentulæ macello, de animabus, de animabus agitur juventutis, parvolorumque, quibus mala parentum exempla, societas perverfa, educatio nefaria ultimam intentant cladem. Euge! non commoveantur viscera tua? non miserebere earum, quæ tuæ curæ demandatae sunt? - - Hæ sunt animalæ, quas inductæ templo in Baptismo ceu sponsulas lectissimas desponsasti Christo, cognitionis Spirituallis vinculo iisdem colligatus - - tunc curam in te suscepisti tutelarem, ut iis oborta cum tempore ratione instructione salubri effe präfeto, & totum te in earum salutem impenderes, quo Deum timere dicant, & in primo rationis vestibulo assuefcant pietati. Maximum hoc tibi prä parentibus, & paedotribis incumbit negotium, & cura de parvulis. - - Hi sunt agni commissi tibi, quos Catechesi studiosa instruas probe, ne pereant, ne sequantur quid deterius hæ tenellæ Christi deliciæ. - - Ita Christum considera Parochorum & Sacerdotum exemplar justissimum - - ætatum omnium quidem se instructorem exhibuit Filius Dei, parvolorum attamen maximo flagrabat amore, eorum innocentia delectatus summe. Clamantem audi: *Sinite parvulos venire ad me,*  
*& ne prohibueritis eos.* - - *& complexans eos,*  
*&*

*& imponens manus benedicebat eos.* (n) Quæ porro Christum circa parvulos occuparit cura, secundum paradigma habet sacerdos, quod imitetur studiose. *Advocans Jésum parvulum statuit eum in medio,* (o) Apostolorum scilicet, dum, quis major in Regno cœlorum eset futurus, quererent ex ipso impense. - - Verum est, ab Innocentia, & humilitate pueruli magnum in discipulorum eruditionem sumpsiſſe Christum argumentum, ut ambabus excellerent, fierentque in coelo magni: at verum est non minus, tantis ipsum parvulum salvatorem imbuisse documentis, ut postmodum Jansenio affirmante fidelibus aggregatus ille succreverit Martialis, qui a Divo Petro in Gallias missus Lemovicis, Burdigalæ, & Tolosæ Jésum prædicans, Martyr occubuit gloriosus. Necdum satis, ut Christi pro parvulis sollicitudo patescat amplius. Vicarii in terris sui Spartam amplissimam cum coeli clavibus demandat Petro Salvator. Amoris trino testimonio, ut nudius tertius audistis, probatum in Pastorem gregis sui denominat. Sed noteimus verba Domini - - bis jussum Petro insinuat suum: *Pasce agnos meos, pasce agnos meos.* (p) Cum semel dixerit tantum, *pasce oves meas.* Nempe frustra hoc factum credit nemo: Hanc certe rationem subesse, autumant sanctorum Patrum non pauci, ut scilicet parvolorum curam Petro imprimeret alius,

(n) Marc. 14. (o) Matth. 18. (p) Joann. 21.

tius, quos agnorum nomine prudenter notavit. In oves excrescunt agni eo meliores, si adhuc agnici pasti sunt bene. (q) Commiantem jam audiamus Salvatorem: quin fulmina loquitur, mitis alias, nunc exasperatus mirum: *Qui suscepit unum parvulum talem in nomine meo, me suscipit -- qui autem scandalizaverit unum de pueris iis, qui in me credunt, expedit ei, ut suspendatur mola asinaria in collo ejus, & demergatur in profundum maris.* (r) Quæ vero Scandala parvolorum fugillavit Dominus? ea abs dubio, quæ scelere præambulo illis in Exilium Innocentiae sunt, & positiva dicuntur; ea vero non minus, quæ instructionis solidæ omissione, ne boni fiant, maneatque Innocentes, eorum decernunt perniciem, & vocantur negativa. Væ! Sacerdoti in cura juventutis negligenti, vae! qui nomen Cathechistæ detrectat, sibique putat probrosum, quod tot Ecclesiæ Præfules, tot viri Apostolici gloriæ sibi duxere maximæ. Væ! si in judicio in segnem Parochum hæc jaciantur objectamenta: *Parvuli petierunt panem, & non erat, qui frangeret eis.* Væ Parochis! Latronibus juvenum, parvolorum sacerariis! nam occidere, & vitæ servandæ negare adminicula idem esse putatur. Hic in Examens strictum semet vocent Sacerdotes curati, utrum præ aliis ætatis junioris saluti prospexerint, admonierint oblitos officii sui parentes,

(q) Sylveira Lib. 9. c. 7.

(r) Matth. 18.

tes, Scholas visitaverint, neglexerintque nihil, quod formandæ juventuti videtur conducibile. - - - Magni Basili huc voce suffragium: *Servetur, servetur, quod præceptum est a Domino: finite parvulos venire ad me, talium est enim Regnum cælorum.* (s) Timeamus, timeamus, ne suspendatur nobis mola asinaria, qui parvulos, ætatemque teneriorem, in Doctrina Christiana asinos esse sivimus. Timeamus, timeamus, ne demergamur in profundum maris, amaras bibituri aquas, qui parvulis lac Christianæ Doctrinæ denegavimus. *Servetur, servetur præceptum Domini: finite parvulos venire ad me.*

## II. Sacerdos præ aliis adultos doceat.

**L**ac parvolorum in nutrimentum natura superpeditat, solidumque cibum adultis parat, cuique providens ætati, mater sollicita. Utrumque distinxit bene Magnus Sanctus Paulus: *Omnis, qui lattis est particeps, parvulus est, eorum autem, qui pro consuetudine exercitatos habent sensus ad discretionem boni, ac mali, est solidus cibus.* (t) Sicut parvolorum est habenda ratio non parvula, ita pro adultis non minor desideratur sollicitudo, ut statu vivant congrue suo, virtutem sectentur veram, a vitiis declinent, amoris sancti leges impleant, quæ Deum proximumque concernunt, tandemque in justitia perseverantes, Christiana morte bona

(s) In Reg. Brevior.

(t) Hebr. 5.

na defungantur, præmia recepturi æterna. Non generatim veritati est consentancum. *Tenacissimi sumus eorum, quæ rudibus annis percipimus.* Rapiuntur obliuione plurima, vel passionum effervescentia dissipantur, quæ in pueritia haustus documenta. Suffocantur a curis secularibus, a rerum agendarum farragine, semina jacta in juventute, quæ, ut repullulent in adulto, solida doctrina & Sacerdotis quidem, opus est omnino. Ita est, laborandum est tibi, Sacerdos! tibi dictum est in Petro: *pascere oves meas.* Postquam agnis de pasta ura providisti, & adultis provide. Memorare Sacerdos! illius diei, qua cura animalium commissa est tibi. Auditin verba illa tibi, tibi dicta? *Ecce constitui te hodie -- Magnum hodie -- ut evellas, & destruas, & disperdas, & dissipes, & ædifices, & plantes.* Et ubi evelles? ubine plantabis? ubi destrues? ædificabis ubi? ajo in *Cathedra*, & *Confessionali*. Utriusque consideremus situm, & Sacerdotis in utroque munus Apostolicum, grande, ponderosissimum. -- Oratores fieri, non nasci paræmia est; Oratores facros tarde, & lente fieri oraculi æterni effatis adnumera-  
tur -- risu digni sunt ad concionatoris Apostolici munus præproperi. *Pascere oves publio prædicationis, sicut est officium magna dignitatis, sic grandis in eo difficultas reperitur,* Ger-  
sonis Parisiensis verba sunt. (u) Si diu satis  
ex

(u) Serm. in Conc. Rhemens.

ex ardente Rubo exercetur Moyses, donec locutus Pharaoni Ægyptum intret, si carbone vivomundanda extiruntur Prophetæ labia, prius quam Israeli commissa a Deo sibi denuntiet, si præcursor Domini Baptista se parat in Eremo, si in coenaculo diu confident Apostoli, donec, non nisi a Spiritu Sancto edocti plenissime, verba faciant, annuntientque Evangelium Nazareni crucifixi, quis leviculum, quis tumultuarium Oratoris Sacri officium credit? Christi ipsius iterum doceamus exemplo. Tempus annorum triginta abierat jamjam, quod vita occultiore in officina Fabri Nutritii sui insumpferat Jesus. Tres instabant anni prædicationis suæ, ut Israeli, totique mundo faceret se manifestum verbo virtutis suæ. Quid ille? ductus est a Spiritu in desertum, solus relicta Matre utut suavissima; relicta Domo in Nazareth, in intima penetrat Eremi, solitudinisque antra. Quadraginta transigit dies, cum Patre suo cælesti acturus tantum. Ecquid tardas bone Jesu præco divinissime? cur subtrahis te mundo, eloquii tui, Doctrinæ tuæ tam indigo? Egredere, laquere, prædicta -- Verba vitæ æternæ habes -- cur tardas? cur moras trahis? homines expectant te, ut audiant te, & inter feras quadraginta diebus noctibusque degis, visus a nemine? Quæstionibus abstineremus nos Abulensis jubet. In desertum abit Christus, qui modo prædicare intendebat, ut daret prædictoribus exemplum, sine præparatione magna non esse Evangelium.

zandum; subtrahat se prædicator a populo, propter authoritatem verbi Dei, ne familiaritate nimia cum plebe vilescat. Vita Prædicatoris mixta est, ex activa & contemplativa: contemplatio autem solitudinem querit. Haec Sacerdotes suos docuit Christus interprete Tostato. Lectione, scientia, studium, pietas, oratio, apparatus oratoris facri sunt, ut adultos doceat cum fructu, ut verbum Domini annuntiet cum dignitate, ut fronte ænea irrumpet in scelera, ut pertimescat neminem, ut profit, ut fructificet; hoc est: *Pasce ovis meas.* Expende Sacerdos, quem thesaurum tibi commiserit Deus, scilicet verbum suum, ut cum adultis dispenses. O! felicem linguam, cui tanta eloqui mysteria concessum, quibus dura emoliantur pectora, illuminentur cæci, ambulent claudi, & animarum immortalium augeantur lucra. - - Quot perillent jamjam, nisi voce prædicatoris Apostoli experrecti, ab inferis revocassent gradum? - - Quot mundus totus scateret vitiis, aliunde iis conspurcatus satis, nisi clamarent in pulpito Viri boni pro Dei causa, cuius vices animosi sustinent? - - Quam effronter domini narentur in orbe crimina, nisi Scripturæ Sacrae testimoniis, Patrum succo, rationis defæcatæ argumentis, illa confunderent oratores sacri? - - Causam Dei sustinet, & tueretur prædicator, dum quasi tuba exaltat vocem suam pro gloria Dei, & animarum salute duntaxat. - - *Veri prædicatores ii sunt, Bonaventura.*

venturæ testimonio, quorum *predicatio habet authoritatem, veritatem, & utilitatem.* (x) Conjice, quam verum sit, sine studio, sine labore, sine oratione, sine sancto vita Exemplo, in adulorum detrimentum vix non irreparabile, in concionatore cessare Authoritatem, nihil valere veritatem, deesse utilitatem. Videmus passim prepe cathedras crucifixi imaginem, & bene; nempe ut sciat Sacerdos prædicans, nihil aliud sibi competere, ut annuntiet cum Paulo, nisi Jesum, & hunc crucifixum. - - At quoties ingemiscis bone Jesu! dum a latere tuo verbum tuum, Evangelium tuum sine fructu adulorum, sine nervo, sine Zelo audis declaveri? Quoties in haec verba dolens erumpis: *Misereor super turbam, quia non habent, quod manducant.* En! Sacerdotem in suggestum astatutum eluctantem, quis ille? orator Apostolicus, & unde? de foro, in quo tota pene hebdomade circumcurrentebat. Descendit Jesus de monte; ut doceret turbas. Hic de turbis montem conscendit, ut doceret: sine meditatione prævia, sine labore, sine studio, corrasa in stapede rerum variarum farragine, miscet quadrata rotundis. Interim suspirat in cruce Jesus: *Misereor super turbam, quia non habent, quod manducant.* In ornato plenissimo stat in ambone Orator sacer. Quidquid in penu sua mellis Eloquentia ser-

(x) de Paup. Christ.

servat, hoc effundit in verba, in sententias, in figuras totum. Flosculos vix non demes-  
sunt omnes, in sermonis sui ornamentum, ut  
eximum magni Oratoris sibi nomen nancisceret.  
Quid ad ista Jesus in cruce? *Misereor super turbam, quia non habent, quod manducent.*  
Perorantem contra vitia Sacerdotem audite. Omnia in forma efflingit propria;  
atrocia, horrida, turpia, infernorum digna  
rogis denuntiat: & vix non peccatores ipos  
concidit gladio verbi Dei. At risu excipitur  
miser, sudore nec quicquam profuso. Cur?  
verbis divi Pauli fugillatur: *Qui prædicas non furandum, ipse furaris, qui dicens non mæchan-  
dum, mæcharis, qui abominaris Idola, Sacri-  
gium facis, qui in lege gloriaris, per prævarica-  
tionem legis Deum inhonoras* (y) - - Altum in-  
tereatur queritur Jesu de cruce: *Misereor super turbam, quia non habent, quod manducent.* - -  
Profit Sacerdos adultis verbo Dei - - habeant,  
quod manducent: habebunt, si verbo accesserit  
industria, lucri animarum, non honoris proprii  
studium, vita incontaminata. - - De suggestu  
ad sacrum tribunal si recta descendamus, quæ  
bona in adultos non derivabit Sacerdos, officium  
Doctoris, Judicis agens, & Medici? Hic  
solvendus a peccatorum vinculis est peccator:  
hic a morbis animæ convalescit sanctæ medi-  
cinæ fomento. Hic ad vitæ emendationem fa-  
lubriter

(y) Rom. 2.

lubriter instruitur. Periissent ex adultis pluri-  
mi, nisi Navarcho confessario Sacerdote, hac  
secunda post naufragium tabula, velificante  
gratia enavigassent in littus. Magna sed &  
hic cum scientia probitas desideratur. Oleum  
cum vino, benignitas cum rigore, amor ho-  
homini cum odio peccati intercedat hic, ne-  
cessa est. Maxima audet, qui confessarii mu-  
nus gerit, clavum utens potestate. Quis pot-  
est peccata remittere nisi solus Deus? at Sa-  
cerdotibus suis potestatem commisit suam. --  
Quis claves abyssi habet, nisi solus Deus? at  
confessario tradidit, non quidem, ut inde  
educat vincitos in Domo carceris, sed ne illuc  
deveniant obnoxii. Quis, nisi confessarius  
Sacerdos, gratiarum recludit gazophylacia  
peccatori, ut, dimissis status miserrimi laciniis,  
Stola indutus nova, Sacramento Eucharistici  
epuli approximet, Filius factus ex transfuga?  
Hos vero adultis prodesse credamus, qui mo-  
ralis Theologie insciæ, in ascesi rudes, omnia  
præcipitant? sine pharmacis dimitunt ægros?  
sine accommodis vitæ regulis, sine doloris &  
propositi disquisitione absolvunt reos? Sacri-  
legi periculo Sacramentum exponunt, & ex  
lavacro magis educunt inquinatos? Væ! Pa-  
storibus Israël divino iussu denuntiavit Eze-  
chiel. Et quare? *Quod infirmum fuit, non con-  
solidabis, & quod agrum, non sanabis, quod con-  
fractum, non alligabis, & quod abjectum, non re-  
duxabis, & quod perierat, non quæsisabis* - -  
*En! dispersæ sunt oves meæ, eo quod non esset*

*pastor.* (z) Urgeant nos ista, urgeant, ut prosimus adultis Doctrina præ aliis; quid factum lucusque? disquiramus -

## III.

*Sacerdos præ aliis ægris doctrina adsit,  
& moribundis.*

**N**ullo non tempore homo, dum vivit, opere indiget spirituali, & doctrina - - Hæc enim animæ sive est alimentum, sine quo tabescit, patiturque deliquia. *Sicut tibi*, inquit Hugo Victorinus, *vehiculum corporis sunt, ita verbum doctrinae cordis vehiculum est.* (a) Variae nihilominus circumstantiae sunt, quibus præsentiores debentur suppeditare, hominis salati necessitate magis. Has inter morbos, noctemque ipsam juve carceramus, ut singularibus pro iis prospiciatur adjumentis. Facile medicinis ceremus, & a pharmacopœis sumus procui, dum valemus, & optima adscicimur valetudine. At gravi jaætati morbo, depressaque infirmitate, quem medici anhelemus opem & consilia, nobis in comperto est. Corporis tanta cum teneamur cura, ubi languerit, quid faciendum pro anima immortali, quando carnis infirmæ inquinata, symptomata experitur sua, & pene ipsa ægrotat? Verum quidem est, esse morbum virtutis palestram, tuncque in operum bonorum Exercitio spiritum vale-

re magis, dum membra doloribus excruciantur. Suffragatur gentium Apostolus: *cum infirmor, tunc potens sum.* (b) Adstipulatur Massiliensium Præfus Salvianus: *Infirmandum est nobis carne, ut optata faciamus: infirmitas enim carnis vigorem mentis acuit.* (c) Quem tamen latet, morbis plerumque tædia, impatiencies, pusillanimitatis, minoris in Deum fiduciae associari motus, mortisque futuræ acerbum metum? Esto, quod ii, qui in perfectionis studio exercitati sunt probe, hæc non sentiant, animoque plus valeant nunquam, quam dum corpore grabato sunt asini: num ita se habere cæteros, laicos præcipue, autemus, eo progressos nondum? Sacerdotis, Sacerdotis parochi præ aliis excubet sollicitudo, ut ægrotis de grege suo oviculis pastorem se exhibeat anxium, providumque. Quid enim aliud primas inter curas numeret suos, quam ut mature Sacrofancis Ecclesiæ mysteriis illis provideat, & salutis æternæ adipiscantur securitatem? Seponantur omnia, mora adsit nulla, lubens, cum gaudio, & alacritate, nullum fastidiens morbi genus, accurrit Sacerdos, ut animæ consulatur tempestive periclitanti. - - At nunquid hic jam Sacerdotis quiescat cura? minime. Prima hæc est, non extrema. Egrotantium visitatio, etiam, dum a peccatis expiat, sacro refecti viati-

(b) 2. Cor. xi.

(c) Lib. de gub. Del.

viatico, uncti oleo jam sunt, desideratur a Sacerdote quam maxime. Tunc certe ejus Doctrina exundet in opobalsama, ubi morbo cum diuturniore confligunt: tunc zelus Sacerdotis paret fomenta, & spiritualis solatii proferat succos, quibus ægri foveantur in animarum suarum medelam. Sacerdotem confidemus hac in re impigrum: *quis infirmatur, & ego non infirmor?* in usitatisimam paræmiam habet sibi. Omni die in morbi statum suarum ovium indagat sedulus, accurrit celer, ubi, qui valeant, qui se habeant, innotuerit ipsi, non morantur eum negotia ulla: adest amicissimus Pastor, non ut consolatorem agat importunum, non ut blateret effuse de rebus ad rem non facientibus. Docens adeст, ut ægris patientiam persuadeat, qua merita augeant sua. Ut manum castigantis Dei osculentur, monet, quæ etiam feriens manus Patris est benevolentissimi; ut dolores sentiant minus, crucifixi exhibet effigiem: ut tanto solentur exemplo se se, fidei, spei & charitatis exercitio breviter, sed emphatice, dulcissima præbet condimenta: ut refocillentur intime, mortis sanctæ præmia luculenter demonstrat, ne mortem horreant, sed concupiscant. Quid interim ægri? Solatio disfluunt, reviviscent mente, pastoris sui animati præsentia, vires resumunt suas, in voluntatem Domini resignatissimi. Mortem anhelant toto nisu, & conamine, in Patriam coelestem profecturi lubentissime. O Doctrinam prorsus salutarem, & necessariam

necessariam, quam Sacerdos suis dispendat crebrius præ aliis, aucto in immensum tum suimet, tum ægrotorum cumulo meritorum. Vultis, ut ægros alios vobis commonstrem parochi sui auxilio destitutos? Adfuit enimvero, sed morosus, sed invitus, sed coactus. Adfuit, inquam, ut Sacrosancta iis impenderet Sacra menta, & velociter quidem, ne mora longiuscula pateretur tædium, & nauseam: at vale simul dixit infirmis, rediturus vix; & ne vix quidem. Quid interim ægri? gemunt doloribus fracti, solvuntur in maledicta - - - Irascuntur coelo, & Deo, morbi aculeis intensius puncti - - - animo dejecti, desperationis exagitantur insultu. - - Sunt quidem aliqui ex amicorum, vel domesticorum cætu, qui meliora suggestur: sed Pastor non adeст, ex cuius ore destillet doctrinæ mel salubre. - - - Pastor non adeст, quem desiderat ovicula effictum: Ecce! quam amas, infirmatur. Curæ commissa sum tuae - - lanam a me habuisti, dum vixi incolumis - - at ægrum deferis mei oblitus omnino? Ecce! quem amas infirmatur, & non opitularis, & solatia negligens suffuraris mihi? Ah! non amas, mercenarius, non pastor es. Fugis veniente lupo, quasi nihil ad te pertineret de ovibus. Inter combibones versaris, disfluis otio, & nihil pateris super contritione mea. Pudet me hisce immorari diutius. Væ! Sacerdoti tam socii, ovium suarum tam inmemori, tam oblio. Væ! non Pastori, sed Mercenario,

Conclusa jam Sacerdotis cura prima, ægris consulente, quid de agone dicemus ipso, in quo cum tota æternitate decertat æger? Aderitne, ubi potuerit commode, Sacerdos? quis dubium moveat, tanto imminente discriminæ. Aderit citus in tanto conflictu, in tanto momento. Vocatur enim a morientis singultu - - - Vocatur a tot sudoris mortualis guttulis, quot defluunt - - - vocatur ab extremo periculo, in quo palpitans, anxius, coangustatus ab inimicis, momentum expectat ultimum, a quo pendet æternitas. Vocatur tacite ab ægro ipsomet: Domine Paroche! ad ad adjuvandum me Festina - - Festina - - angustiae me tenent undique - - Festina - - impetrator a lupis vespertinis, qui querunt, ut devorent me ovem pascuae tuæ - - Festina - - succurre iis Ecclesiæ remediis, quæ morituris Filiis Mater provida tam abundanter præparavit. Festina - - doce manus meus ad prælium, & digitos meos ad bellum. Eripe me ex tentationum afflitu, quæ me conturbant - - nunc mea res agitur: agitur de magno, & tremendo æternitatis itinere. Festina - - Demine ad adjuvandum me Festina - - Hæc si perpendimus Sacerdotes! Quis nostrum officio deerit suo, quis open non ferat ægris? quis auxilium subtrahat morituris? Hæc si non moveant, et si potentissima, moveant saltæ ignominiaæ in Sacerdotem curatum tepidum, in curionem incurium, juste detorquendæ. Quid si audire cogatur: *Domine!*

fi

*si fuisses hic, Frater meus,* inter tot mortis angores, *non esset mortuus.* Domine! si fuisses hic, vicinus meus inter desperationis signa non esset mortuus. Domine si fuisses hic, amicus meus tot angustiis pressus, non esset mortuus. Domine! si fuisses hic - - sed - - proh dedecus! proh ignaviam! quid, si ex inferni rictibus defuncti clamarent. Domine! si fuisses hic, morte æterna non essemus mortui, qui te absente æternitatis perivimus in limine - - Ah! si fuisses hic, & præ aliis quidem. - - Ut finiam, horror jubet. Nazianzeni verba modica, ut menti imprimantur, volo. *Debet esse in magna angustia, & tribulatione, qui habet curam animarum.* (d) Qui fuimus hucusque? Sacerdotes! qui erimus posthac, ut præ aliis ea, quæ proximo debemus Doctrina, exfoliamus? - - Cernui ad pedes Jesu crucifixi prolabamur.

## COLLOQUIUM.

Obstupeco Domine! si ea, quæ curæ commisisti meæ, quæ vigiliis demandasti meis, considero. Apostolis me aggregasti tuis, ut animas, quas pretioso sanguine redemisti in cruce, adducerem tibi. E cœlo te vocavit animarum salus; in hoc negotio triginta tribus annis laborasti indefessus: fudisti continuus, ut non perirent. Hæc tuæ erant ovi- culæ Pastor magne! quas Doctrina cœlesti pavili-

(d) in Apologet.

pavisti ex toto sanctissimi cordis tui desiderio. Solo animarum lucro contentus ambiisti nihil, quidquid mundus habet. Et quid aliud siti-  
visti in cruce Salvator divinissime! nisi ani-  
mas? Ecquid aliud in patibulo consumma-  
tum esse clamore valido vociferatus es, nisi  
animarum redemptionem vitæ tuæ, cruxis  
que tui dispendio? Misisti Apostolos tuos, &  
cum his Sacerdotes omnes, & me indignissi-  
mum simul, non ad Regnorum gubernacula,  
non ad divitiarum congregationem, sed ad  
animarum questum; ut instruerem parvulos,  
docerem adultos, & opem conferrem ægris,  
ne aberrarent a coeli semita, in æterna taber-  
nacula deducendi. Posuisti me custodem in  
vineis, sed proh dolor! vineam meam non cu-  
stodivi. Curam magis me gesisse recordor,  
ut commode viverem, ut delicate viverem,  
ut de Patrimonio Ecclesiæ tuæ parasitarer.  
Væ! mihi, quia tacui; Væ! quia scientiæ  
Apostolicæ non impendi me satis, ut parvulis  
frangerem panem, adultos esca cibarem solidam,  
ægris pararem pharmaca. Væ mihi! si anima  
unica immortalis ex mea eam negligentis de-  
sidia periit æviternum. Ah Jesu! quam di-  
strictè repetes illam a me? quam in furore tuo  
argues me, & in ira tua corripies me? Abo-  
minor, execror teponem meum, tot malorum  
fortassis causam. Docebo iniquos vias tuas,  
& impii ad te convertentur. Docebo parvulos,  
non vicarii tantum opera: Ipse docebo, quia  
ipse agnorum tuorum pastor sum. Docebo  
adul-

adultos, quantum vires meæ indulgebunt  
mihi. Ipse docebo, non alterius studio, ut  
ferviant tibi, ut custodiant legem tuam. Æ-  
gros docebo, ut morte sancta exeant ex hoc  
fæculo nequam. Ipse docebo, qualicunque  
decumbant ægritudine, etiam pestifera. Fe-  
licissimum me Evangelii tui Martyrem! si in  
animarum cura obeam. Vitam, sanguinem  
immolabo pro te: moriar pro animarum mihi  
commissarum salute, sicut pro anima mea pau-  
percula mori dignatus es. Hoc unicum por-  
to negotium erit mihi, ut Pastoris boni no-  
men merear. Gratia tua confirma me, illu-  
mina me in Doctrina sana, in Doctrina Spi-  
ritus sancti tui. Non erubescam Evangelium.  
Docebo, docebo, quamdiu fuero: quamdiu  
potero, docebo, docebo.

## REFLEXIO.

**S**ecundet Deus vota nostra Sacerdotes Dei!  
Quam prodeesse proximo præ aliis debeat-  
mus, satis, ut puto, illuxit nobis: gloriemur,  
& multisfariam quidem, & per omnem mo-  
dum, Apostolorum sequaces nos esse, ut sal-  
vemus animas, quarum pastores sumus. La-  
boremus, insudemus provinciæ tam sublimi,  
qua excellentiorem haftenus non vidit mun-  
dus. Serio in animarum cura operam col-  
locemus studio, ut sciamus, quæ a Deo data  
sunt nobis, ne ultra quæri possit, aut debeat:  
*Ubi est litteratus? ubi est verba legis ponderans?*


ubi

*ubi doct̄or parvulorum? (\*) Si quis est parvulus, veniat ad nos. Sapientiam præstemsus parvulis, ut discant a nobis bona. Laboremus in Cathedra doct̄e, servide, discrete. Assitamus ægris, & moribundis, ut ipsi, in morte constituti, securi dicere cum Christo possimus: Domine! quos tradidisti mihi, non perdidi ex eis quemquam. Quæ tunc erit consolatio nostra, ubi in Judicio accusaverit nos de desidia nemo? ubi audierimus illud: Qui ad Justitiam erudiant multos, fulgebunt sicut stella in perpetuas aternitates. (e)*

Lectio spiritualis ex Thomæ Kemp. Lib. 3. c.  
43. *Contra vanam, ac secularem scientiam.*

(\*) Il. 33.

(e) Dan. 12.



TER-

## TERTIÆ DIEI

MEDITATIO II  
POMERIDIANA.

*Sacerdos præ aliis proximo debet bonam sui Famam.*

Ultima hora est Sacerdotes Domini! quam Meditationi sacræ reputamus. Sed famam! omnium hucusque dictorum videbimus compendium, & rerum suminam in fama bona Sacerdotis. Hac sine nec ea, quæ Deo, nec ea, quæ nobis, aut proximo debemus, præstandi nobis erit facultas. Hac sine vilescit Sacerdotalis character ipse, pondus amittet Doctrina suum, & efficaciam, totusque in prædam hostibus suis cedet Sacerdos. *Cavenda, & quidem Sacerdotibus præ aliis, cavenda est infamia macula, quæ nullo nitro elui potest;* Hieronymus monet. (f) Hoc tamen sciendum prævie, satis haud esse Sacerdoti, ut mundi oculos non offendat, in oculis Domini reus. Hypocritarum hæc larva est, ut se pulchra exterius sint dealbata, plena intus spurcitia: ut pellibus agnorum amicti, lupi clam rapaces sint; ut cygnorum more plumis vestiantur niveis in extimo, in intimo autem carnem habeant præ carbonibus atram. *Plerique famum,*

(f) Ep. 47. de susp. contub.

man, pauci conscientiam verentur, si Senecam audiamus. (g) Clarius in rem commentatur Augustinus: *Duce res sunt, conscientia, & fama: conscientia tibi, & Deo, fama proximo tuo.* (h) Placeat Sacerdos Deo præ aliis, præ aliis fama bona placeat proximo. Hoc ultimum pro Meditationis scopo ita constituimus.

*Sacerdos præ aliis proximo debet bonam sui famam.*

*Primo.* Charitatis testimonio.

*Secundo.* Mortificationis studio.

*Tertio.* Castimoniae singularis præconio.

**PRELUDIUM I.** Intueamur animo Christum, quam enixe exempla bona suis commendarit Apostolis, sic eos compellans: *Votis lux mundi*, & quidem super modum constituta, ut omnes, qui ingrediuntur, lumen videant.

**PRELUDIUM II.** Admiremur eundem, mittentem aquam in pelvis, ut discipulorum suorum lavet pedes, antequam eos consecret in Sacerdotes. Nempe, ut Ammonius in catena Græca censet, *per attatum mundavit pedes eorum in præparationem Evangelii. Veni creator &c.*

### I. Sa-

(g) In sent.

(h) Serm. de comam vita Cler.

I.  
*Sacerdos præ aliis habeat Charitatis testimonium.*

Fortius Charitate nihil est, ut etiam indomitis dominemur. Blanditiis & feræ delinuntur, & vincula habet amor, quæ injic和平 belluis, ut jugo colla submittant sua: non diu violenta durat, & quidquid nimius occipit rigor, pauculis concluditur momentis. Perdit existimationem cum amore, qui amore caret, & misericordia. Venit in orbem Filius Dei, corda lucratus hominum. Dum mediæ noctis silentium tenerent omnia, mundum ingressus est pacifice, tranquille, sine fragore, sine tonitru: & en! mox a pastorculis queritur, adoratur, diligitur blandus pusio. Stellæ præfulgida, non cometa truci, non fulmine, primitias gentium vocat ex Arabiæ petris: & homagium dicunt, & dona offerunt lubentes tres Principes magi. Vitam Christi adultiorem, dum evangelizaret, consideremus. Mirabantur Principes, & Hæbræorum Popæ, hostes Christi, offensi ab illo nunquam, mirabantur, quod tanta & copia, & vehementia in eum irruerent turbæ ex omni castello Galileæ, & Judeæ, & Jerusalem, ut audirent eum: famam mirabantur, & existimationem publicam Domini Jesu. Mirabantur, stupebant, attoniti dum triumphum ageret in Jerusalem inter populi acclamations festivissimas, dicebantque: *Ecce! mundus totus post eum abit.*

abit. (i) Undenam ista? unde fama Christi optima, & existimatio? certe causa utriusque erat singularis mansuetudo Domini, liberalitati juncta perbene. Miremur lenitatem Christi, dum Magdalena peccatrixi in civitate commissa condonavit scelera: absolvit adulteram, Matthæum cum Zachæo vocavit a telone, discipulorum suorum correxit errores. Mirerum liberalitatem Domini, cum tot millia virorum pasceret in deserto, ut fami, ut necessitati consuleret, ne deficerent in via, tri duo eum jam sustinentes. His Charitatis suæ testimoniis corda hominum devinxit sibi Jesus. Ast ut Sacerdotes sui eum sequerentur, plane voluit. Scimus, quam impense, quam studiose lenitatem Apostolos docuerit suos: *Discite a me, quia mitis sum.* -- Scimus, quam nervose iisdem inculcarit dilectionem. *Ex hoc cognoscet omnes, quia discipuli mei esuriunt, si dilectionem habueritis.* -- Scimus, quam liberales esse voluerit eosdem in Charitatis sinceræ testimonium: *Date -- date Eleemosynam -- qui habet duas tunicas, det non habenti, & qui habet escas, similiter faciat.* (k) Callebat enim piissimus Dominus, re nulla meliorum sibi Sacerdotes posse conciliare famam, ut Ministerio prodeissent suo, quam Charitatis testimonio aperto, apertissimo. Menti ob jiciamus Sacerdotes duos, & quantum unusquisque proficiat in animarum cura attente videamus.

(i) Joan. 12.

(k) In Evang.

videamus. Unus mansuetus, lenis, comis, urbanus, benignus inter oves moratur suas: omni studet conatu, ut eas ducat, doceat, sed in Spiritu lenitatis. Corrigit, sed blande. Increpat, sed obsecrat prius, ut Paulus monuit ordinatus: *Obsecra, increpa;* punit discolos, sed discrete. Invehit in immorigeros, & contumaces, sed acrimonia temperata illius divi Jacobi memor: *In mansuetudine suscipite insitum verbum, quod potest salvare animas vestras.* (l) Revocat errantes, sed sine tumultu ad exemplum Paftoris optimi, tollentis in humeros oculam perditam. Egentes, famelicos, nudos videt, sed compatitur: sed subvenit, sibi subtrahens, ut indigentiae obviet suorum. -- O! insigne testimonium Charitatis in Sacerdote! O! catenam auream, qua sibi devincit omnes. En! quam obedient prompte -- quam veloci audiant verbum ejus -- quam hilares mandatis obsequantur -- quam Pastorem diligent suum Fama bona Sacerdotis Charitate plenissimi condecoratum publice. -- Quam vitam illi precantur longævam -- -- quam memoriale illi statuant, perpetuum paternæ debitum Charitati. Sed & alterius hauriamus specimina. Nihil non æstro agit, & furore. Lupo pejor sævit in oves, non ut pascat, sed ut devoret: oleo lenitatis carens, aceto utitur tantum, melle destitutus urticis. Et Absynthio, &

(l) Jacob. 1.

& felle abundat severus, crudus, asper, morosus, ferox. Aer est, sed Euro plenus, & Aquilone, de Zephyro sciens nihil. Dumus est, & senticetum, sed absque rosis: spinis plenus, ut vulneret. Nubes est, sed tonitruis fæta, non pluviae salutaris stillicidio. Fulminat de cathedra, tonat in confessionali. Misereri nesciens, procul cum strepitu abigit ab ædibus suis pauperes, dum petunt stipem. Alumnus avaritiae sordidissimus corredit pro se omnia, infinita rerum laborans cupidine, auri argenteique studio obcaecatus. Pessima nonne hunc mali nominis labe conspersum cernimus? Ecquæ animarum numerat lucra? Quomodo æstimatur a suis? Quomodo auditur, dum corripit? Quomodo, dum de suggestu loquitur? susque, deque vertuntur omnia - - - Fugiunt, & disperguntur ovinulae - - Callo obducuntur errantium nævi - - obdurescunt ad doloris sensum animi. - - - Videturque abominatio desolationis in loco sancto. - - Charitas, Charitas Sacerdotis decus est maximum. Clerici, Clerici, Bonaventuræ animadyersio est, Clerici, qui sunt oculi Ecclesiæ, debent esse præ cateris teneri compassione, & lacrymabiles pietate. (m) Amplius ut videamus, quam Famam deperdet suam Sacerdos sine Charitatis testimonio, sancti Evangelii lustremus follia, ubi de Charitate proximi loquitur Dominus, ubi Sacerdos atre notatur cum Levita.

Cer-

(m) Tit. 7. Diætæ.

Certe Sacerdotum sine erubescèntia, hæc ex ambone leget nemo; quoties annuatim recurunt: tunc præcipue, ubi se ipsum noverit. Charitatis expertem. *Homo quidam descendebat ab Ierusalem in Jericho, & incidit in latrones.* Sarcinula sua spoliatur viator infelix; plagiis afficitur sat multis, a sicariis vulneratur, relinquiturque examinis ab Assasinis: altum suspirat miser, opemque efflagitat fors transeuntes. Accidit, ut Sacerdos quidam descenderebat eadem via, & viso illo præterivit. Similiter & Levita - - Erubescamus - - Sacerdos, simul & Levita - - Horreamus - - Hinc sine Charitatis testimonio in tantam prolabantur cruditatem insensibiles? Sacerdos, similiter & Levita - - Sacerdotem notemus acrius. - - Eadem via, concivem respuens suum - - viso eo, si non vidisset, fuisset absque culpa, sed viso eo factus prope - - præterivit, non stetit, utpote nulla radicatus Charitate. Similiter & Levita, cum esset secus locum, & videret eum, pertransiit. O! Famam pessimam utriusque, Sacerdotis, & Levitæ, qua meliorem sibi Samaritanus contraxit homo secularis. Irascitur juste Chrysostomus: *Quod, si Samaritanus adeo humanus; mitisque fuit erga hominem ignorantum, quam habutri sumus nos Sacerdotes veniam proprios Fratres, id est, proximos neglexerimus?* Quam famam? - - quam veniam? - - Præteribimusne in posterum viso eo? - - visis tot in hac lacrymarum valle miseris? quin recordemur Charitatis proximo debitæ? & qui-

dem eadem via, qua nobiscum hunc mundum pertranseunt? præteribimus sine dilectionis visceribus, extirpata in nobis humanitate? O Sacerdotes! sine Charitatis veræ testimonio, quod proximo debemus præ aliis, nihil sumus, nihil profumus, nihil possumus, nihil, nihil, prorsus nihil.

## II.

*Sacerdos præ aliis Mortificationis studia spectabilem se faciat.*

**O**mnia oculi in Sacerdotem conjecti sunt, & valde acuti quidem. Taxantur ejusdem mores, & vita perstringitur tota acri prorsus perspicilio, multa, imo plurima ab illo desiderat mundus, et si pro se cæcus fatis. Dixi jam; Spirituales vocamus ab illo viri: (geistliche Männer, geistliche Herren) prætent omnia, ut a reliquis mundi incolis discernamur mortificatione: alii ut ab illis sumus, expectat. Hoc certe studium debemus illi, ne maligna vapulantes crisi, maxima ab illo spernatur fiducia. Ponamus ob oculos nobis primos Ecclesiæ Sacerdotes Apostolos; scimus, quam graviter, quam liquido mortificationis studium illis imperii sui Majestate mandarit Dominus: ut a sensuum illecebris, a carnis commodis alieni, a vanitatis luxu remotissimi, viam crucis Regiam docerent fideles, non rosis, non Holoferico, non purpura, sed spinis, sed tribulis, sed sentibus stratum: Omnis

nis ex vobis, qui non renuntiat omnibus, non potest meus esse discipulus. (n) Nolite possidere aurum, neque argentum, neque pecuniam in zonis vestris, non peram in via, neque duas tunicas, neque calceamenta. (o) Palletis, ut video, haec dum vobis de primorum Sacerdotum mortificatione recito. - - - Et tamen non Monachi, non claustrorum indigenæ, sed Sacerdotes fuere fæculares, Religiosissimi equidem. - - - Procedamus in Calvariae montem, ubi Sacerdotum Primas, primusque in Parochiali sua Domo, in cruce habitat, ut sacrificaret, accinctus. Epomidem cernite, & amictum! nudus est. Sensuum blanda videte irritamenta! contumelias audit, carnifices videt suos, & latrones. Mensam considerate! Felle pascitur, & aceto. Lectulum inspicite! Filius hominis non habet, ubi reclinet caput. Reclinatorum cernite! trabs est infamis, de qua sanguine conspersus ex vulneribus profluente pendet, clavis manus pedesque confixus. Haec nempe commoditas, hæ delitiæ redemptoris, & Sacerdotis primi, cuius ut vestigia teramus, vocati sumus. Fatendum quidem arbitror, talia, tantaque a nobis haud desiderari. Clamat interim Paulus Sacerdos, Christi imitator solertissimus, & in aures Sacerdotum clamat præ aliis: Semper mortificationem Jesu in corpore nostro circumferentes, ut & vita Jesu manifeste-

(n) Luc. 14.

(o) Matth. 10.

*nifestetur in corporibus nostris.* (p) Mortificatio nobis innuitur, quam mundo debemus infamam bonam - - qua verbis nostris Apostolicis virtutem addamus, & efficaciam. *Semper mortificationem Jesu in corpore nostro circumferentes.* Notate semper. Conferamus eam, quam vivimus, vitam, cum vita crucifixi Sacerdotes! conferamus! - - - verentur dicere possumus cum Paulo propter te mortificamur tota die? (q) Conferamus, repeto, nos, qui molli calcitræ incubamus in adultam diem? *Propter te mortificamur tota die.* Nos, qui corporibus nostris omnia indulgemus, quæ arident? *Propter te mortificamur tota die.* Nos, qui amara respuimus, dura abhorremus, dulcia infectamur, proprii amoris, vitæ mollis alumnuli? *Propter te mortificamur tota die.* Nos, qui horas, o! diem pene integrum, in vanitatem absumimus & in carnis nostræ commoda? *Propter te mortificamur tota die.* Nos, qui solitudinem exosi turbis miscemur in popinis, in plateis, ut recreemur? *Propter te mortificamur tota die.* Nos, qui mensulas nostras oneramus cupediis, bibimus Massica, talis, pictis foliis, latrunculis, tempus justo amplius dilapidamus? *Propter te mortificamur tota die.* Nos, qui vestibus ad pompam factis turgemus scientes; quod, qui mollibus ventiuntur, in Domibus Regum sunt, non in Domo Dei? *Propter te mortificamur tota die.*

Pu-

(p) 2. Corinth. 4.

(q) Ibidem.

Pudeat nos, & extremi pudeat, Apostolos intuentes, intuentes Jesum in Cruce. Quid ad ista sæculum? quid mundus? quid nostræ oviculæ? prædicemus Jejunia! rideamus, qui illabente quadragesima pro dispensatione in quadragesima primi currimus, mentientes propter nos. Poenitentiae opera dilaudemus in pulpito! Illudimur, qui austерitates ut monstra fugimus. Sobrietati dicamus præconia! habemur ludibrio, qui in commissationibus crapulati, ebrii vacillamus. Vestium luxum damnemus! Sarcasmis proscindimur, qui veterum Sacerdotum, contra morem, contra sanctæ simplicitatis vestiarium, holosericis amicimur, circundati varietate, myrrham, guttam, & cassiam redolentes, superbimus infandum, nefandum. De Jesu paupere in præsepioli sui antro, in Domo Nazarena, in cruce faciamus verba! Explodimur, subfannamur, qui Domos ambimus eburneas, amplissima ditati supellecile, Principes videmur magis esse, quam Sacerdotes, patrimonii Christi usurpatores, & dissipatores. *Lignum est,* inquit melleus Doctor, *dignum est,* ut qui altari servit, de altari vivat: conceditur ergo tibi, ut si bens servis, de altari vivas, non autem ut de altari luxurieris, ut de altari superbias. (r) *Vir Ecclesiasticus,* votum Isidori Hispalensis est, vir Ecclesiasticus crucifigi mundo per mortificatio-

nem

(r) Ep. 2. ad Fulc.

*nem propriæ carnis debet.* (s) Crucifixi placebimus mundo, mortificati placebimus fama optima, quam mundo debemus. Regem agebat David, non Sacerdotem; & tamen apparens in templo sic aiebat de se: *In terra deserta, & invia, & in aquosa, sic in sancto,* alii legunt, in Sanctuario, apparui tibi. (t) Solitudo squallida sanctuarium sit, & eremus horrida? adest Hieronymus, ut aenigma solvat scripturæ. Homo, & Sacerdos præ aliis mortificatus appareat. *In sancto apparere non possumus, nisi mortificati, nisi terra corporis nostri fuerit deserta a mundanis deliciis, invia concupiscentiis, & illecebriis, in aquosa.* (u) -- O Sacerdos! sine mortificationis studio, quod proximo ob famam bonam debemus præ aliis, nihil sumus, nihil possumus, nihil profumus, prorsus nihil. --

## III.

*Sacerdos præ aliis proximo singularis Castimoniae famam debet.*

Non aestimatur adamas, nisi maculæ vel minime expers sit, & luce coruscet genuina. Rejicitur Margaritum nigra notata labe; ipsique soli quodammodo honoris decepit non minimum, ubi in ejus disco detecta fuligo est. Deus ipse horret fordes, & abominiatur

(s) Lib. de summo bona.

(u) Ep. 46.

(t) Psalm. 62.

natur fæces, munda in oculis suis patitur tantum, ens purissimum ipsumet; nec in coelestis suæ Regiæ tabernaculum intrare sinit aliquid coinquinatum. Summam præcipue requirit in templo suo etiam terrestri munditiem. Leviticum si legimus testamenti veteris rituale, quam splendida, limpida, terfa erant omnia, quæ pro sacrificio faciendo sibi ordinavit. Quam a Sacerdotibus ipsis exegerit puritatem sacra profuse loquuntur Biblia. *Omnis, qui habuerit maculam de semine Aaron, non accedet offerre hostias Domino, nec panes Deo suo.* (x) Et iterum: *sedebit conflatis, & emundans argentum, & purgabit Filios Levi, & colabit eos quasi aurum, & quasi argentum, & erunt Domino cfferentes sacrificia in iustitia, & placbit Domino sacrificium.* (y) Tales si voluit esse Sacerdotes in umbra Deus, quales in luce elegit sibi, nisi illibatos? nisi mundissimos? Ita est plane, patitur quidem in Sacerdotibus novi testamenti quosdam corporis defectus: at mentis labem, animæ spurcitem non patitur. Quod in altaris sui Ministris, verbi sui Præconibus singulariter desiderat, castimonia est: quia inter lilia pascitur. Augustini accedat suffragium: *Omnibus castitas per necessaria est, sed maxime Ministris Christi altaris: tales decet Dominum habere Ministros, qui nulla contagione carnis corruptantur, sed potius continentia castitatis*

(x) Lev. 21.

(y) Malach. 3.

*tatis splendeant.* (z) Rationis audiamus motiva. Quæ tractat, amabo! novæ legis Sacerdos, nisi sanctissima, mundissima? Virginem Jesu Christi carnem, sanguinem purissimum Filii Dei in ara immolat quotidie, sanctum sacrificium, immaculatam Hostiam, nec immolat tantum, sed sumit, cibat, potatque --- Respondeamus Chrysoftomo: *Quo non oportet esse puriorem tali fruentem sacrificio? quo solari radio non splendidiorem manum, carnem hanc divedentem?* os, quod igni spirituali repletur, linguam, quæ tremendo nimis sanguine rubescit? Respondeamus --- Hem! tremenda Mysteria, nec Angelis commissa, utut Spiritibus mundissimis! quid, quod & Angeli se satis pueros esse non arbitrentur, ut sacrificanti adstent Sacerdoti. -- In Christum respiciamus oculis fixis, dum Apostolos in Sacerdotes voluit ordinare in cœnaculo, instituturus una Sanctissimum Eucharistiae Sacramentum. Qua cura eorum lavit pedes, mundavitque plantas? ut eos commonefaceret, carere cordibus debere Sacerdotes, carnemque habere impollutam, qui hec offerrent in sui commemorationem? --- quid de ipso Domino commoret Ecclesiae canon, preesse notemus, ubi panem & vinum post mensam legalem in carnem, & sanguinem suum transmutatum exhibet: *Accipit panem in sanctas, & venerabiles manus suas;* *Accipiens & hunc præclarum calicem*

(z) Serm. i. Dom. 25. post. Trinit.

*cem in sanctas ac venerabiles manus suas.* Nonne manus Domini Jesu sanctissimæ, & venerabiles erant semper? cur cum Eucharisticum tenent panem singulariter tales vocantur? nempe ut Sacerdotibus tanto documento exprimatur, quanta munditie, quanta sanctitate hoc admirabile Sacramentum coram populo sit tractandum. Coram populo stat in ara Sacerdos, qui hoc in officio castimoniam prætendit ab illo præcipuam. Et hanc debemus populo famam bonam Sacerdotes, dum Sacrosancta peragimus mysteria, quod sanctæ & venerabiles sint manus nostræ: quod eas ad fædas carnis illecebras extenderimus nunquam. Castitas a nobis requiritur summa, integritas consummata, ut sacrificio nostræ intersint oviculæ: ut ferveant, ut in Jesum exardescant Eucharisticum. -- Quo fructu Sa- cris operabimur in nobis, adstantibusque abundante, si a suspecto commercio, a carnis illecebris, a putidissimo lasciviae cæno reputemur immunes, impolluti, castimoniae radiis illustres? Quod spectaculum Deo, Angelis & Hominibus exhibebimus, si ab obsecenis voluptatibus famose alieni, dignissima Jesu tabernacula existimus. Verum sicut non nisi casti in ara placent Sacerdotes, sic nec in suggestu audiuntur cum fructu alii, quam illibati castimoniae cultores. *Eloquia Domini eloquia casta.* (a) *Lex Domini immaculata convictens animas.* Ope-

(a) Psalm. ix.

Operatur tunc maxima, & in amplissimam fetetem excrescit Sacerdotis Doctrina, si pudicitiae laude celebris, ore puro, corde incontaminato illam enuntiet. Et hanc famam debent proximo iterum Sacerdotes, ut prosint. Prosuit Christus eximie docens in templo, in naviculis, in campestribus, & ubi, ubi demum. Sequebantur eum turbae, eloquii sui divinissimi desiderio tractae; passus est Equidem Improperia satis dura: aliqui dicebant quod bonus est, aliqui quod non. In innocentem debachabatur nesarius Pharisaeorum caetus, scribarum impia caterva. Vini potatorem, crientem turbas, Regiae dignitatis affectatorem, vetantem tributa dari Cæsari, declamabant impie. De castimonia tamen contrarium dicebant nihil; etiam cum loqueretur Samaritanæ, absolveret adulteram, & Bethaniæ apud Martham, & Magdalenam hospitaretur non raro. Noluit enimvero, ut vitam suam vel minima taxaret libidinis suspicio in Doctrinæ fuge despectum. -- Famam hac in re optimam servans sibi Evangelii sui stabilitatit legem, ut orbi annuntiaretur universo cum fructu. Ex cathedra crucis perorantem, & in sacrificium cruentum offerentem se Patri æterno aspiciamus. Orator sacer, & Sacerdos pendens in patibulo mulieres stare voluit procul, quæ ipsum alias docentem sequabantur: *Stabant autem omnes nocte a longe, & mulieres, quæ fecutæ eum erant a Galilea.* Solam Matrem Virginem Virginemque discipulum juxta

cru-

crucem stare concedit, ut doceret, quantum valerent doctrina, & sacrificium Sacerdotes, si procul essent omnia famæ bonæ impedimenta, & utrique famosa aedes castimonia. -- Jeremias concionatus, lumbos succingere jubetur, eo quod una iudicitia concinatori & magis necessaria, & honestior sit. Delicatum, vanum, garrulum, iracundum audire nemo refugit, si tamen pudicus sit. Nihil tam demiratur vulgus in Propheta, quam integritatem, & præconium castitatis. Hoc unqm si absit, perit aestimatio tota, ridetur Doctrina, et si solidissima, fastiditur Zelus, clamor subfannatur apostolicus, & nihil non despicitur, quod operose persuadere contendit. Ipsa sacrificii Latreutici obfuscatur cellitudo, si Mystra de carnis petulantia vel exiguum patitur conjecturam. Universim, quod turpius spectruin, quod monstrum faedius sibi quis posset figurare, quam Sacerdotem ganeonem, mæchum altaris ministrum, mystam lenonem? contremiscimus, haec si audimus. Quæ ab hoc Sacerdotii propudio non tolerat Jesus, dum se toties projici videt in pectoris lascivi cloacam, tradique peccantibus membris? O! quam suspirat Deus Eucharisticus, antequam a latrone lascivo devoretur: *Nunc tradetur Filius hominis in manus peccatorum; Hæc est hora, & potestas tenebrarum; melius erat illi, si natus non fuisset.* Horrenda! horrendissima! qui Dominicum corpus pollutis tractare manibus non revertetur, crucifigentium Jesum particeps esse convin- citur.

*citur. Petri Damiani minæ sunt acerrimæ. Perpende Sacerdos! quales oporteat esse manus harum rerum ministras, & qualem linguam talia verba fundentem? Hugo querit Victorinus. Sunt Sacerdotes, turpe dictu, sed turpius adū: molli filium veneris agunt in cubiculis: mane vero filium virginis offerunt in altaribus. Innocentius III. cum lacrymis lamentatur. (b) Cruenta conscientia ad divina accedunt sacrificia, comedunt sine timore carnes Agni, qui præsidet in celo, sicut carnes, qui venduntur in foro: non sicut Sacerdotes assidunt in altari, sed sicut carnifices in macello, putidi fætore luxuria. (c) Quid de sua Authoritate perperdit Doctrina Christi, si ore Sacerdotis pronuntietur, de quo audiuntur passim protervi sales, furentia in modestiam scommata, prurientia libidine verba, joci fescennini? quid si oviculis suis met petra scandali sit Sacerdos? si Asmodæo eas immolet? quas docendo debuisset servare? o Lupum, non Pastorem! o Arietem, non Sacerdotem! o Dæmonem incarnatum! plura vetat rubor. - - - O Sacerdotes! sine castimoniæ præconio præ aliis nihil sumus, nihil profumus, nihil possumus, prorsus nihil - - Genu prociduo ad Jesum accedamus crucifixum.*

## C O L L O Q U I U M.

**C**ognovi Domine! & cognovi satis, quid ego ad Sacerdotium Electus præ millibus, proximo

(b) L. 2. de cont. Mundi.

(c) Serm. in

ccena Dom.

ximo debeam, famam nempe bonam, ut proxim commissis mihi: ut fructifícem, fermen Evangelii tui spargendo. Exemplo tuo docuisti me, quæ facienda mihi, ut animas adducere rem tibi, honorificato in me Sacerdotio. Ut charitate, ut mortificatione, ut castitate verbis meis addam pondus, & nervum, quo salutem operentur in omnibus: discutiam me, scrutaber vitam mæam in lucernis, ut, quid contra actum sit hucusque, videam. Ah! quanta, & æterna mihi imminaret ruina, si absque charitate, absque mortificatione, absque integritate sanctuarium polluisse tuum: Evangelium robore destituissim suo. Dimitte me, ut plangam paululum dolorem meum. Memor esto Sacerdotum tuorum! Solida eos in charitate, benignitate, & mansuetudine, ut prona facientes suorum corda, profint animalium curæ; ut mortificationis studio prvidentes sibi, Ecclesiasticae vivant conformes dignitati. Ut famosa, declamata, divulgata emineant castitate, forma facti gregis ex animo. Cessabunt, cessabunt contumelias in te, in sanctuarium tuum ob discolos projectæ hastenus. Refrigescet hostium tuorum, & Ecclesiæ tuæ furor, si alii prorsus sint Sacerdotes tui! Indue eos virtute ab alto; mitte illis spiritum lenitatis, & charitatis sanctæ, qui in te in forma descendit columbæ. Mortificationis spiritum indulge, qui in te patravit tantæ. Cor mundum in illis crea Jesu castissime! & Spiritum rectum innova in visceribus eo-

rum. Fac, ut illibati, ut mundi, ut dignissimi, fama ornati bona, mysteriis adsint tuis in ædificationem fidelium, & non in destruetionem. Qui timent te, videbunt me, & latabuntur. (\*) Hæc jam curarum mearum erit prima, ut placeam tibi; ut oculos nunquam offendam tuos: ut proximo famæ bonæ in charitate, in mortificatione, in castitate debitissimum exsolvam vestigal. Confirmā me Servator benignissime! confirmā me gratiarum tuarum munimine in mei explectione propoſiti; ut in me videaris, audiariſ tu, ad majori rem sanctissimi nominis tui honorem & gloriam. Hoc da, & sufficit. Hoc impertire efficaciter, & fatis est. Surgamus - -

## REFLEXIO.

**N**on erit, ut diffiteamini Sacerdotes Dei! tunc nos oviculis nostris profuturos maxime, si fama bona simus conspicui. Tria sunt, ut audistis, quæ Sacerdoti æstimationem conciliant. Testimonium charitatis, quæ teste Apostolo, patiens, benigna est: quæ non quærerit, quæ sua sunt, quæ non irritatur, nec cogitat malum. Diligamus sancte omnes, quibus præsumus. Charitatis iis præbeamus documenta: obedient, sequentur, lucrabimur animas. Mortificatio nostra, sancta morum nostrorum compositio, modestia Sacerdotalis labori nostro conferent plurimum, ut frustaneus non sit, quasi aerem verberans, & cymbalum

lorum

(\*) Psalm. 113.

lorum ad instar tinniens sine fructu. Peculiariter autem ad omnia curremus Heroes, ubi illibati, & casti videbimus: ubi nec tenui quidem de vitio carnis teterrimo vapulabimus suspicione. Curemus, ut simus Angeli incarnati, agnum secuturi quondam cum illis, qui cum mulieribus non sunt coinquinati. Hæc est voluntas Dei sanctificatio nostra: non enim vocavit nos Deus in immunditiam, sed in sanctificationem, ut essemus Exemplum bonorum operum in Doctrina, in integritate, in gravitate. O! quanta a nobis Ecclesiæ, Religioni, Sacerdotio accedet gloria, quam bene, & proficie laborabimus, in Domini vinea, si charitas, si mortificatio, si castimonia non vulgaris, sed famosa, famosissima, si fama bona nos exornarint coram Deo, & hominibus. *Gratia nobis, & pax a Deo Patre nostro, & Domino Iesu Christo; Benedictus Deus, & Pater Domini nostri Iesu Christi, qui benedixit nos in omni Benedictione spirituali in celestibus in Christo, sicut elegit nos in ipso, & Immaculati in confessu ejus in charitate.* (d)

Sequitur Lectio Spiritualis ex Thom. Kemp.  
Lib. 4. cap. 11. N. 6.

Sequuntur Lytaniæ omnium Sanctorum pro vivis, & defunctis membris Capituli.

(d) Ephes. 1.

# PROLOQUIUM I.

ANTE MEDITATIONEM SECUNDAM  
PRIMÆ DIEI.

*De Sacrificio Missæ tremendo. Sacrificium laudis honorificabit me, & illuc iter, quo ostendam illis salutare Dei. Ps. 49. v. 23.*

**Q**uandoquidem hodiernam diem in id totum impendimus, quod Deo Sacerdos debet, ut etiam rei illæ maximæ statmentio, quæ ad Deum maxime pertinet, necessarium esse duco. Tremendum intelligo Sacrificium Missæ, Mysteriorum omnium compendium divinum prorsus. A prima jam rerum Genesi hominem in Sacerdotem constituit optimum Numen, ut illi in protestationem, & agnitionem supremi in omnes res creatas dominii, sui sacrificaret quidpiam. Hoc enim lumine illustratus Adamus, generis humani protoparens, partibus non defuit suis, ut creatori suo e terre productis, vel de animalium adipe flammis concremaret res meliores. Dicere a Patre obsequium conditori impendendum filii, & nepotes, ut de Caino & Abele scimus: resque ita demum ad posteros transiit, ut nulla gens etsi barbara, & vix humana de sacrificiis saltem Idolis, & Deastris Fictitiis præstandis non cogitet reapse. Tunc atta-

attamen de Sacrificio sibi normaliter offerendo providit Deus, cum Israeli legem, Leviticum que scripsit in Sina monte sancto, cum Aarone, omnesque e tribu Levi natos tabernaculi servitiis destinavit in Sacerdotes. At enim, quæ tum in holocausta, in victimas, in thymianata oblata fuerint, spectata habemus in bibliorum foliis. Umbræ erant haec omnia, & typus obscurus valde illius tremendi Sacrificii, quod offerendum sibi in cruce cruentum Solymis a Filio suo, & postmodum a Sacerdotibus novæ legis voluit æternus Pater. Hoc, Fratres Sacerdotes, hoc est illud mysteriorum omnium complementum, beneplaciti divini scopus unicus, exultationis supremæ, Eucharisticum, impetratorium, propitiatorium: Sacrificium, quo summe delectatur Deus, quo placatus fulgura mutat in pluviam salutarem, & orbi reconciliatur tot suppliciis obnoxio. Tanti momenti rem Sacerdotibus concredidit tantum, exclusis omnibus mundi Principibus. Hoc Sacerdotes in Ministerium Altaris sui elegit ab æterno, ut agnum immaculatum, filium suum offerrent in oculis Majestatis suæ: ut odoraret odorem suavitatis. Stupet hic Bernardus, & mente attonita rapitur extra se, prout Doctoris melliflui innuunt verba: *O! novam protestatem, & divinam! cuius ministerio panis angelorum, & vitæ mortalibus quotidie paratur; Audite, & obstupescentes admiramini, nulli Angelorum, nullis spiritibus supernis, sed hominibus: nec tamen omni-*

*omnibus, sed tamen ordini vestro, o! Sacerdotes tantum, mandatam esse tanti Sacramenti celebrationem in altari, quod Christus fecit suis manibus in cœna paschali.* Majora num dicere potuit clarævallenfis Pater? sed quid ultra dicat notemus: *Grave est pondus, grave est periculum hujus honoris; gradus quippe iste gradus causalis est, gradus Judicialis est, nisi meritis illustretur.* (e) Maximo Judicium imminet maximum, nullo ab homine major exigetur responso quam a Sacerdote: num bene, num sancte, num ordinate, vel econtra num perfuntorie, obiter, & negligenter opus hoc Domini factum sit. At quomodo Sacerdoti ad altare accedendum sit, quomodo in eo operandum, quomodo ab illa recedendum, penitus hic considerandum occurrit. Ita: tria hæc a nobis discutienda sunt, & cordi imprimenda perbene.

Sacerdotem ergo *ante sacrificium*, qualem esse oporteat, luculentius adumbremus. Verba vatis Regii proloquo huic notantur præfixi: *Sacrificium laudis honorificabit me.* De Missæ Sacrificio hæc ore propheticō enuntiata esse a Davide, plurimum sanctorum Patrum sententia est, utpote per quod Deus honoretur maxime, ejusdemque laudi, & gloriæ accedat plurimum. Certissimum proinde est, quod excellens eidem præmitti debeat præparatio. Magnificum nonne templum Salomonis erat, &

orbis

(e) Serm. x. in Coena Domini.

orbis miraculum, in quod aurum ex ophir, cedri de libano insummebantur? quis apparatus vasorum, quis splendor altarium, quis Sacerdotum ornatus non præcedebant, antequam tauri, & arietes offerrentur Deo? & nonne parasceve præambulabat agni Paschalis esui, prolixe notata in scriptura, ut palam fieret, operi tam grandi deberi præparatiō nem? In Christum oculos convertamus, dum ad institutionem Sacrificii Missæ procederet, primo celebrandum in cœnaculo: multa, & mysteriis plena præcesserant. Rogatus a discipulis: ubi vis paremus tibi comedere Pascha? in civitatem eos mittit, cœnaculum magnum stratum designat, hominem amphoram aquæ portantem in ducem constituit, agnum legalem, Eucharistię typum cum iis comedit, pedes eorum lavat, & tunc primum panem, & vinum in corpus, & sanguinem suum convertit; cur ista? ut Sacerdotibus demonstraret, qua præparatione se ad missæ Sacrificium accingant, nec ad illud cito, velociter, & tumultuarie accedant, nisi illud in se detorqueant: *Maledictus, qui facit opus Dei negligenter.* Præparatio ergo bifariam distinguitur. Remota est una, propior altera. Remotam illam dicimus, qua Sacerdos anteriori temporis spatio ea disponit, quæ tanto Sacrificio digna sunt. Mirum! Quantum Sacerdotes sancti in functionem tam sublimem intenderint, ab ea adhuc remoti. Fuere, qui vespere præcedente corde recognoscitabant suo, quid in altari die

die crastina essent operaturi; patribus in limbo similes suspirabant jamjam. *Rorate cæli de super, & nubes pluant justum. Veni Domine, & noli tardare: tuam Domine excita potentiam, & veni ad salvandum me.* Gratulabantur animæ suæ, ad desideria sancta erga Christum excitatae Eucharisticum: *Hodie scies, quia veniet Dominus, & mane videbis gloriam ejus. Crastina die erit tibi salus: cras egredieris, & Dominus erit tecum.* His occupati votis, lectulo committebant se, somniaturi de celebrando missæ sacrificio: & ne ipsis de nocte occurreret quidpiam, quo illo redderentur indigni, precibus efflagitabant intensissimis. O! præclaram piorum Sacerdotum præparationem, et si distantem adhuc, & remotam! quid si bene poti, crapulati, curis sæcularibus gravati, gravato irruimus nos, de futuro in crastinum Sacrificio cogitantes nihil? o proterviam! o negligentiam palmarem!

Expergefacto de mane Sacerdoti sacrum facturo quid agendum sit, videamus. Tota ipsius mens in Deum illico sublevetur necessio est. Prima ejus cogitatio hæc sit. *Hodie Domine Deus Pater cæli, & terræ! Sacrificabo tibi Hostiam laudis. Hodie agnum Immaculatum immolabo tibi in altari. Hodie de cælo traham unigenitum Filium tuum. Hodie manducabo in animæ meæ nutrimentum carnem ejus, & sanguinem potabo. Hodie natus mihi erit Salvator. Videbo mirabilia hodie. Hodie ero cum Jesu*

*Jesu in paradiſo. Hodie delectabitur anima mea in salutari tuo. Surgam, surgam & ibo ad Patrem meum. His animatus desideris, lectulo, & culcitris vale dicat Sacerdos abs mora: vestimentis honestate comite indutus, preces per solvat matutinas coram crucifixo de genu, animi motibus in Eucharistie Sacramentum, in cor Jesu absorptus totus. Sequatur tum meditatio, & si commode fieri possit, recitentur matutinæ de festo, nisi fuerint anticipatae hihi. Multum certe juvabunt ista, ut Sacerdos remote ad tremendum missæ sacrificium se disponat. Singulariter dein in se descendat, & ruminetur conscientiam suam, num graves, num leves illi inhærent maculæ. Sciet enim probe, quid sibi faciendum sit, ubi mortalis ipsum culpa coquinat: agnoscat abunde, quam horrendum, quam terrible sit in reatu gravi sacrificare. Capiet utique, lavacro Poenitentiae sibi opus esse omnino, ut emundet animam suam a noxa lethali, ne corporis, & sanguinis Domini reus fiat, a Dæmonie discep pendus in ara. Properet, properet ad Exhomologesin, confiteatur pudore omni seposito. Nihil illum excusat, quam confessarii absentia, & sacrificandi necessitas. Contritio alias perfecta cum confessione in voto, quam primum, mandante Tridentino facienda, interim vocetur in adminiculum, & cum timore, & tremore accedat ad altare. Festinet dein ad poenitentiae Sacramentum mox, ne mentiatur ini quitas sibi, neye confessionis dilatione nefan-*

dissimorum sacrilegiorum criminis se contamineat. Præcipue ante sacrum in sacra solitudine se contineat Sacerdos; confabulationes cum famulitio, mulierculis præcipue, evitet studiose: res sacerulares, & negotia temporalia tractet minime, ut animi recollectio non dissipetur. Abrahæ memor, qui in monte Moriæ sacrificaturus Deo, famulos cum asino manere retro ferio jussit. *Expedite hic cum asino postquam adoraverimus, revertemur ad vos.* (f) Quis enim timore non percellatur? quis non horreat, ubi Sacerdotem propediem sacrificaturum conspicerit blaterantem cum domesticis? cum sacerularibus garrientem? & quod pejus est, nundinas exercentem & jocos. Judæ certe hic simillimus est Iscariotæ, qui Petro, & Joanne pascha parantibus abiit ad Sacerdotes, ut Christum proderet dicens: quid vultis mihi dare? illisque de præparatione follitatis, hic, Judas, Dominici sanguinis mercator existit, ut severè traditorem fugillat Chrysostomus. (g)

De remota ad proximam præparationem accedamus, quæ in recitatione accessus sacramentum consistit. Negligendus est hic minime, utpote ex Psalmis, & precibus consistens, quibus mens in cænaculum superius, hoc est, in oratorium, extollitur pro impetranda Spiritus sancti assistentia, Sacerdoti tam necessaria,

(f) Genes. 22.

(g) in h. l.

ria, & indispensabili. Studiose ista Mystis concinnavit Ecclesia pro ciendis affectibus præviis, ut experientur satis, qui illa novarent ceu saluberrimæ. Sacrificiam accedens Sacerdos, a iurgiis cum ædituis, ut gens garacula est, alienus, sacras, antequam eas assumat, contempletur vestes, quibus amictus personam Jesu Christi acturum se noscat. Sex sunt numero: amictus, seu humerale, alba, cingulum, manipulus, stola & casula sive planeta, quibus recolenda est Domini amarissima passio, qui sex diebus mundum creavit, sexta autem mundi ætate, sexta die, sexta hora eundem reparavit. Amictus significat velum, quo facies Christi velata est. Alba denotat vestem albam, qua eundem Heroes ignominiose in dementiae signum induit. Cingulum, manipulus, & stola vinculorum, & catenarum insignia sunt, quibus manus, lumbi, & collum Jesu erat adstrictum. Casula vestem purpuream repræsentat, humeris domini tanquam regis Ludicri in Pilati prætorio injectam; crux planetæ impressa patibulum crucis affabre exprimit, quo oneratus, in illo ligendus, ad montem perrexit Calvariae. Birretum ipsum coronæ spineæ indicium est. Hæc consideret Sacerdos, & aspirationes parti singulæ congruentes: *impone Domine capiti meo &c.* Omni recitete cum devotione.

Nunc Sacerdotem in *actu ipso sacrificii* paulo attentius sub oculos ponamus. Quo vadis Sacerdos, dum altare gradu lendo, tanquam alta meditans, accedis? Quo vadis? nunquid ad operationem maximam, cui angeli aderunt? in quam coelum totum prospiciet? cui Ecclesia fidelium praesens erit, et si in exigio numero consistens, et si vel solus sis cum camillo. Revera personam Jesu patientis in ara sustinet Sacerdos ex integro: tota, & amplissima dominicæ passionis mire in sacrificio textitur historia. Quam ergo sollicitus sit, ut rubricas omnes observet caute relegendas saepius in missali, vel in opusculis Joannis Bonæ, Jacobi Cantelmi S. R. E. Cardinalium, Stephani Durandi, Andreæ Castaldi, Bartholomæi Gavanti, Tobiæ Lohneri, Henrici Piscati aliorumque, indagandas ad amissim. Qua corporis compositione, qua modestia, & gravitate, qua oculorum custodia, quo mentis affectu, animique præsentia peraget omnia? ut in Sacrificio laudis honorificetur Deus, lætentur Spiritus angelici, populus ædificetur. Quo virtutum theologiarum exercitio in consecratione, & sumptuone non ferreat in ea, quæ tractat, intentissimus. *Sacrificium laudis honorificabit me:* protestatur Altissimus. Sed quomodo fiet istud, si Sacerdotes videamus agiles, festinos, leves, histriionum instar flexiles, oculis vagabundos, tanta tractare mysteria? *Stans ad altare, esto vir: non habeas senectutem vetustatis, nec pueritiam fatuitatis.* Petrus

trus Blesensis monet. (h) Væ! Sacerdotibus inconcinnis, væ discolis, qui in ipso monte Calvariae mystico Christi vices agentes, gestu leviculo, actione ludicra Deo ignominiam, Angelis tedium, plebi Scandalum, Sacrificio sacrilegium, sibi infernum, & damnationem inferunt, Sacerdotio ignominiosi, mimi potius, quam mystæ. Nempe ut hominibus placeant magnatumque aucupentur favores, præcipiant in altari omnia veloces, sine spirituunctione conculcantes sacra, crucifigentes Jezum propter homines, non sacrificantes; sed nec talibus illic iter patebit, quo ostendatur illis salutare Dei, sed ira Dei, sed confusio quondam æterna. Adebat Bernardus hisce Sacerdotum simulacris. Respondeant quærenti: *Tu Sacerdos! cui ex his placere gestis mundo, aut Deo? si mundo, cur Sacerdos es? nam si placere vis mundo, quid tibi prodest Sacerdotium?* (i) Laurentium Justinianum audiat Sacerdos stans in altari. *Accedat Sacerdos ad altare ut Christus, afflat ut Angelus, ministret ut sanctus, populorum offerat vota ut Ponifex, interpellet pro pace ut mediator, pro se autem exoret ut homo.* (k) Paucis plurima diximus, & maxima in compendio.

At inquires, si Sacerdos tales in actu ipso Sacrificii tremendi exhibere se debet, annie eo finito nihil amplius habet, quod agat? Christum cum sacris ubi exuerit vestimentis, liber erit ab omni

(h) Ep. 43. (i) Ep. 42. ad Ep. senon.

(k) de Euchar.

omni devotionis obsequio? minime. Sacerdos! alloquio te peto, & serio quidem: post mensam ut stemus, vel passus mille meamus, schola sanitatis docet, quod corpus attinet, cibumque materialem. Fueristi in ara Christus, quid es, cum ab hac recessisti? Virgini matri nonne similis es? haec divinissimo concepto fæta, in Domo Nazarena, exurgens abiit in montana: & te in montana ad meditationem cælestem oportet contendere. Eundem, quem illa, geris sub pectori: tabernaculum vivum es, in quo moratur Jesus. Altare portatile es, in quo adhuc quiescit Jesus. Habes, quod cum illo differas de animæ tuae salute. Intimus tibi est, ut gratias in te effundat suas, amicissimus tibi. Operentur in te fides, spes, & charitas, ut gratiarum nova subsidia ab illo compares tibi, quamdiu est in stomacho. Judas accepta buccella exivit mox, & facta est nox, & traditor domini sui factus est, laqueo suffocatus miserrime: non periturus, si mansisset cum Apostolis, quos post mensam Eucharisticam recessus loco sermone prolixo, & sanctissimo sustinuit, Hymnoque dicto clausit. Quia nemo, ut loquitur Paschasius, *hujus adipe frumenti satiatus, hujus sanguinis Christi dulcedine ebrius effat a laude.* (l) O! perfidam tepidi Sacerdotis mentem. O! exiguum debitissimæ gratitudinis specimen! o ruinam certam! qui ab altari redux ad temporalia citus abit, cum the-

(l) L. 12. in Matth.

thesauro pretiosissimo excurrit in forum, & Saeculi sequitur nugas. Erat certe nox, quæ oculos miseri excoecavit, ne amplius respiceret in Jesum, in pectori adhuc latentem. Cœna, non prandium, Eucharistiae sumptio nunquamatur. Post prandium exitur ad negotia saeculi, cœna sumpta quieti datur locus: quiescat Sacerdos post cœnam in sacri recessus devotissimo penso, quiescat in somno, quem Deus dilectus indulget suis: quiescat in amoris sopore tranquillo, hospitis divinissimi contubernio fruens. *Cœnam istam debemus sumere, & postea ad somnum orationis, & contemplationis ire, inculcat Hugo Cardinalis.* (m) Per sex dies pluebat manna de cœlo in Israëlis cibum frugalem, & sapidissimum. Sabbatho vero suspendebatur coeleste congiarium nubibus clausis, cur? Mandavit Deus per Moy-sen: *Maneat unusquisque apud semetipsum nullius egrediatur de loco suo die septimo.* (n) manere apud semetipsum, inquit Abulensis, est, cum homo intra actum intellectus se totum collocat, cogitando de Deo, & ei de receptis beneficiis votivas gratias tribuendo. Maneat Sacerdos apud semetipsum post gustatum in sacrificio Manna: recogitet, quid fuerit, quid sumpserit, unde veniat? Hypocaustulo, vel inclusus suo, vel remanens in templo, tantisper præsentia Jesu recreetur, vacando affectibus piis, defumendis ex libro quarto Thomæ Kempensis,

(m) in cap. 13. Joann.

(n) Exod. 16.

pensis, qui de sacratissima Eucharistia totus est, & spiritu plenissimus. O! quam brevi in alios mutaremur, quam cito sanctitatis attingeremus apicem, quam in nobis operaretur bona omnia Deus absconditus, & Salvator. Hinc fervor ille sanctorum Sacerdotum. Hinc ille contemptus mundi heroicus, ut nihil illis saperet nisi Jesus: Hinc illae extases, quibus in coelum rapti, nectar eceleste in proprio fonte degustarunt. Hinc illa mentis generositas, qua ab hac mensa, sicut Leones ignem spirantes, recedebant, facti terribiles diabolo. Certe de divo Francisco Salesio Episcopo Genevensium, vitae narrat Historia, distulisse eum sacri recessus preces ad vesperam usque, ut accepti beneficii semper esset memor. Capiamus ista Fratres Sacerdotes! capiamus, qua præparatione ad tremendum Missæ sacrificium accedere, qua attentione illud peragere, qua gratitudine ab illo recedere nos oporteat. Sacrificemus quotidie, ne Deus optimus maximus suo honore, ne Ecclesia patiens in purgatorio refrigerio defraudetur suo. Sacrificemus digne, & sancte, ut de nobis dicere possit Deus: *Sacrificium laudis honorificabit me, & illuc iter, quo ostendam illi salutare Dei.* Hoc sacrificio illuc iter explanatur nobis ad sanctitatis culmen: illuc itur hoc viatico ad coelum, ad cœlum. Amen.

**PROLOQUIUM II.**

**ANTE MEDITATIONEM ANTEMERIDIANAM SECUNDÆ DIEI.**

*De Horis Canoniciis.*

*Laudate Dominum, quoniam bonus est Psalmus:  
Deo nostro sit jucunda decoraque laudatio.  
Psalm. 46.*

**A**dmirabilis profecto in laude Domini erat Psaltes Regius. Palæstinæ gubernio occupatus quamvis, & bellorum strepitum, memor Dei delectatus est semper, & curis primis annumeravit suis, ut eundem septies in die Cytharæ suæ modulis, & Psalmorum a se factorum canticis laudaret accenso thure: multum obsequii præstítit Deo piissimus Rex, dum non modo pro suomet usu, sed pro Levitarum in tabernaculo, & postmodum in Salomonis filii sui templo confuetudine, divino Pnevmate suggerente, Psalterium composuit suum. Primi, teste scriptura, pro psalmodiæ ministerio a Davide constituebantur Idithun, Asaph, & Heman, qui prophetarent in cytharis, & psalteriis, & cymbalis, & laudarent Dominum. Augebatur postliminio orchestrum sacrum sub Salomone, nec habebant aliud tamén, quam Psalmos Davidicos, quod decantarent: *Sacerdotes stabant in officiis suis, & Levites*

vitæ in organis carminum Dómini, quæ fecit Da-vid Rex ad laudandum Dominiū. Adeo ex sancti Principis Regia divulgabantur Psalmi in sacrarium: adeo sacra Iessæi Principis modu-lamina Hebreis erant usitata, ut & a fideli-bus novi Testamenti pro divini cultus aug-men-to acceptarentur; fuit enim Psalterii Da-vidici ea semper æstimatio, ut sanctorum Pa-trum Encomiis cumulatum assatim sit. A Magno Athanasio paradiſo comparatur, in quo omnis generis plantæ, & saluberrimæ qui-dem una reperiuntur, quæ per alios scriptu-ræ libros singillatim disperse sunt. Divus Aurelius Augustinus illud *communem thesau-rum* vocitat, in quo bona omnia continentur. *Comitem magnum* appellat Chrysostomus, qui solatur, & defendit in via. *Scriptæ compun-tionis somitem*, esse Psalterium Ilidorus innuit Hispalensis. Quid mirum? Ecclesiam non mo-do primitivam voce communi decantasse Psal-mos, utique ex sancto Paulo scimus: *Commo-nentes vobmetipos Psalmis, Hymnis, & canticis spi-ritualibus in gratia, cantantes in cordibus vestris.* (o) Sed & Sacerdotibus præcipue scimus eos fuisse in pensum diurnum præscriptos, ut eos pro Dei gloria, & salutis propriæ commodo vel decantarent, vel legerent attente, & de-vote. Orationem, seu extollentiam mentis in Deum omnibus, quotquot homines sunt, esse necessaria in, extra dubium est; Sacerdo-tibus

(o) Coloff. 3.

tibus tamen illam singulariter competere, ut-pote rebus divinis speciatim, & præ aliis deputatis, contra sentiet nemo. Hinc illam pa-ræmiam ortam esse credimus

Sacerdos primario.

Videatur cum Breviario

Ut laudet Deum modo vario.

Breviarium scilicet liber ille est, in quo pre-ces illæ ordinatim ab auctoritate Ecclesiæ dis-positæ sunt, quas personæ Ecclesiasticæ ex præcepto sanctorum canonum, Ecclesiæ nomi-ne, Deo persolvere dietim tenentur. Obliga-tio hæc gravis est, Religioni innixa & justi-tiæ, quod ultimum eos tangit, qui ex patri-monio Christi vivunt, cum beneficium detur propter officium. Officii hujus divini usum inter primæ Ecclesiæ ponimus observationes, ut in Apostolorum actibus de Petro, & Jo-anne, de Paulo, & Sila invenimus testimo-nia, quibus illud Clementis Papæ hujus no-minis primi & Apostolorum discipuli suffraga-tur: *Precationes facite mane, hora tertia, sexta, & nona & vespere, atque ad galli cantum.* (p) Superfedemus cæteris, quæ de horis Canoni-cis passim loquuntur Moralistæ, ea dicturi tan-tum, quæ, ut bene, rite, meritorie, & ad bene-

(p) L. 8. const. Apost. Can. 34.

beneplacitum supremi Numinis, animarumque profectum persolvantur, concernunt. Et enim a Vate Regio paucis edocemur: *Deo nostro sit jucunda, de: ora que laudatio.* Unum si desit, non sapit Deo pensi Canonici recitatio; utrumque si adsit, placebit, & in amænissimum surget suffitum semper. Itaque

Omni mentis Hilaritate Sacerdos horas recitet canonicas. *Jucunda laudatio.* Hilarem datorem diligit Deus; frontem exigit serenam, & vultum apricum a servis suis optimum Numen. Carmen in luctu importuna est narratio. Nihil habet tristitia cum modulamine; & illibenter fieri omne illud dignoscitur, quod sine alacritate fit, & animi festivitate: ululant noctuæ, non psallunt assuetæ tenebris, cantant alaudulæ, conditori suo diei primitias deferendo pleno gutture. Supra laudes omnes Deus est, etiam dum psallunt Angeli, meretur, ut laudetur a creaturis omnibus, quo possunt, modo. Ut autem animo libenter, non repugnanter laudetur, exposcit jure: *Gaudete in Domino semper, iterum dico gaudete, semper gaudete: sine intermissione orate.* Videmus, qua contentione orationem, laudem Dei lætitiae junctam esse cupiat diuinus Paulus: *Semper gaudete: sine intermissione orate. Ubi non est lætitia mentis, frustra sonat melodia carminis.* Magnus addit Gregorius. (q) Fidibus Cytharae Psalterio suo consonis laudatum

(q) Sup. Psal. 32.

tum a Davide Deum scimus. Nihil tam volupte, tam gratum, tam jucundum accidat, quam si a tempore ad horas canonicas vocamur. Desipiant nobis omnia mundi oblectamenta, desipiant, ubi ad laudes Domini vocamur: *Venite exultemus Domino, jubilemus Deo salutari nostro.* Angelos imitamus, dum psallimus etiam soli. Elevamur ad caelestia a terræ sordibus procul, dum laudes Domini pangimus etiam in cubiculo. Mysteriis sanctis eruditur, cum Psalmos legimus studiose, totiusque lætitiae ubertate perfundimur ex Psalmodia canonica redundante; Recessit a Saule malus spiritus, atræque bilis furor pulsante cytharam Davide. Mens tota exultabit in Domino, ubi sincere haec pronuntiabimus verba: *Domine labia mea aperies, & os meum annuntiabit laudem tuam.* Eſſene poterunt Sacerdos, qui Breviarium, qui horas Canonicas inter portenta reponant? qui mente tristi, fronte caperata, præcipuo quodam mærore afficiuntur, si Canonicarum horarum occurrat memoria? Audio lamenta non nemini: Ah! Breviarium! quantum onus! importuna folia! quanta sarcina! Monachis, clauſtorum Indigenis æquius convenit id, quam mihi in Sæculo degenti, variis negotiis occupato: tota rerum mearum interrumpiter series, & solvitur catena, dum ad Breviarium vocor adeo molestum mihi. O Sodes! o Sacerdos pessime! quam parum adhuc degustasti de melle Psalmorum! de Laude Domini! Hem! non

non ad negotia vocatus es sæculi: ut laudes Deum, ut animæ profis tuæ, vocatus es, & tantum, & unice. Jucunde occipimus omnia, quæ utilia censemus nobis. Lætatur miles pergens in prælium, sperans ab hoste prædam. Cantat arator in arvo, dum semen spargit in spe lucri; Jucunda, jucunda sit laudatio Sacerdoti, cui Psalmus bonus est, ut saluti æternæ prospiciat. Ita Sacerdotes! bonus est Psalmus, quo in optimarum virtutum exercitiū dducimur. Bonus est Psalmus, quo piis illustramur cogitationibus. Bonus est Psalmus, quo angelis associamur, & unimur Deo intime. Credite, certa loquimur, Sacerdotes, illos a peccati gravioris discriminē esse semper procul, qui attente, & studiose canonicum exsolvunt pensum. Credite, certa loquimur; qui enim fieri poterit, ut ejus non custodianter pedes a lapsu, qui septies de die Deo loquitur tam confidenter, ejusque implorat opem? Breviarii certe librum inter fabuberrimos animæ codices recensendum esse, ambigat nemo. Qua in farragine suppeditant Psalmi suspiria jaculatoria, aspirationes optimas, mentis bonæ sensa? tum profutura maxime, cum ad vana, ad nociva pellecti iis utimur; *Suscepta semel in dures Psalmorum cantica, in corde sunt retinenda, & semper officio oris iteranda.* Hilarii Arelatenfis commonitio est. (r) Psalmus unus centesimus decimus octavus,

(r) in Psal. xi8.

vus, occurrens nobis dietim, quibus non abundant, ut animæ profit, solatiis? Tepeſcimus in Dei servitio? ſuſpitemus: *adhaſit pavimento anima mea, vivifica me ſecundum verbum tuum; dormitavit anima mea præ tadio, conſirma me in verbis tuis.* Patimur opprobria? Clamemus ad Dominum: *aufer a me opprobrium, & contemptum: non tradas me calumniantibus me.* Tentationibus impetimur? oremus: *Conſige timore tuo carnes meas, a iudiciis enim tuis timui; appropinquaverunt perſequentes me iniquitati - - prope es tu Domine, & omnes viæ tuae veritas - - declinate a me maligni, & ſcrutabor mandata Dei mei.* Tuus sum ego, ſalvum me fac - - iniqui perſecuti ſunt me, adjuva - - narraverunt mihi iniqui fabulationes, jed non ut lex tua. Turbant nos in rerum coeleſtium conſideratione mentis nubila? Ingeminemus: *Servus tuus sum ego, da mihi intellectum, ut diſcam mandata tua; Appropinquet deprecatio mea in conſpectu tuo Domine: juxta eloquium tuum da mihi intellectum.* Delinquimus, peccavimus? gemiscamus: *Funes peccatorum circumplexi ſunt me - - Fiat manus tua, ut ſalvet me - - aspi- ce in me, & misereſtre mei - - Erravi ſicut ovis, quæ perii, quæ ſervum tuum Domine.* Verbo ut complectar, nullæ circumſtantiae, vi- ciſſitudines nullæ occurrere Sacerdoti pote- runt, quibus pharmaca ſuppeditare Psalmus non queat. Bonus est Psalmus: opitulatur. Magnus Basilius: *Psalmus, inquit, eſt anima- rum tranquillitas, pacis arbiter, optimarum co-*

gitationum, & disciplinarum promptuarium, turbas mentis compescit, dæmones fugat, angelos ad- vocat. (s) Si præter Psalmos conspicimus in Breviario sanctorum vitas, Scripturæ sanctæ testimonia, Sanctorum Patrum Homiliae, Deus bone! qua hilaritate ad officium suum non festinet Sacerdos? ut animæ suæ præstet subsidia, tibique sit uni jucunda laudatio.

Sed & decora sit, ut in ea delectetur Deus, qui aversatur disordinata. Dominus Regnavit, decorem induit; decora desiderat, & suo in ordine concinna. Decoram equidem laudationem putabitis illam, quæ suavissimo vocum concentu, fidum sono, instrumentorum clangore sociatur. Sed de hac differant alii, nobis coram decor ille sufficiat, qui ex mente pia, animo recollecto, corde mundo, & ipsa horarum canonicarum dispositione iusta proficiscitur. *Psalmis, & Hymnis cum oratis Deum, hoc ersetur in corde, quod profertur in ore;* fuggerit nobis Augustinus. (t) *Ubi Psalmus est cum compunctione, ibi & Deus cum angelis; studeamus, ut cum obsequiis labiorum vita concordet;* sic enim pietas Dei ad nos fletet auditum, Ephrem monet. (u) *Cum timore, & humilitate psallendum est: sic stenus ad psallendum, ut mens voci concordet.* Innuit Bonaventura. (x) *Si Psallentibus non adsit devotio, licet eum*

dem

(s) Proæm. in Psal.

(u) Hom. 4. Epiph.

(t) in regula.

(x) in Speculo.

dem Psalmum millies repetant, non est decora laudatio. Afferit Petrus Blefenfis. (y) Qui cum aedia psallit, indicat se parum amare illum, cui Psallit. Comminatur Robertus Bellarminus. (z) Hæc Sacerdotes! Hæc est decora laudatio, cui attentio, cui pietas, cui fervor vigorem præbet, & efficaciam. Ex ordine demum horarum canonicarum laudibus divinis singularis accrescit decor. Horæ dicuntur, quæ inter se distinctæ sunt in horologio. His, ut eas designavit Ecclesia, annexæ sunt ita preces Sacerdotis, ut eas transmutare abs causa justa vertatur in piaculum: totam diem, ut in laude Domini transfigat Sacerdos, Ecclesiæ sanctæ mens est optima. Sacerdotem orbis universi vicarium esse, inter Patres controversia non est. Laborent Laici, orent Sacerdotes: proverbium viget commune, proinde consequitur indubie, ut occupata in rebus temporalibus plebe Sacerdotes in ordine vicis suæ ante Deum ministerio fungantur suo. Diximus, Ecclesiam studio horas præscripsisse septem, a clero precibus consecrandas. Tempus matutinum primam diei partem sibi postulat, a quo matutinum cum laudibus nomen fortunatur. Succedunt prima, tertia, sexta, vesperæ, & completorium; utque signate hic ordo servetur, Mysteriis sanctissimæ Passionis Domini nostri horæ canonicae sunt accommodatae juxta antiquissimos versiculos:

M 5

Hæc

(y) Ep. 86.

(z) In Psal. 80.

Hæc sunt, septenis propter quod Psallimus  
horis;

*Matutina* ligat Christum, qui crimina pur-  
gat,

*Prima* replet sputis: causam dat *tertia* mortis.

*Sexta* cruci necit: latus ejus *nona* bipertit,

*Vespera* deponit: tumulo *completa* reponit.


O! decoram laudationem plane, hæc si ad-  
vertimus, studiose laudantes Deum Patrem in  
patientis filii sui memoriam. O! preces thure  
optimo meliores, ascendentes usque ad thronum  
Dei. At quid de illis sentiendum, qui  
horas canonicas sine causa graviore pro libitu  
transponunt, miscentes fusque deque omnia  
commoditatis suæ amatorculi? qui simul &  
semel absque necessitate urgente Breviarium  
recitant integrum, ut reliquam diem perdant  
in vanitate, immemores Dei, imo positive obli-  
ti? qui verba mutilant lingua præcipiti, vere-  
dariorum instar celeres? qui in seram noctem  
distenti frivolis, differunt omnia, & sole jam  
absente illud: *jam lucis ortu Sydere*: intonant  
palmari mendacio? qui oculis vagis distra-  
ctiones sibi conscientes, quid dicant, nef-  
ciunt? qui recitantes cum focio ad ejusdem  
non attendunt partem? qui garritu insolente  
pensum interrumpunt canonicum? Hæccine  
erit decora laudatio? probra dicamus, impro-  
peria impacta Deo, & insultus temerarios. De  
iis mentio etiam fiat, qui levi de causa officium

inter-

intermittunt vel totum, vel partem notabi-  
lem; qui modo subreptito dispensationem Ro-  
ma sibi accersunt, negotia caufantes, dum otia  
scripsissent satius: valetudinis periculum alle-  
gantes, dicturi melius carnis petulantis, sala-  
cisque cuticulæ voluptatem: oculorum obten-  
dentes caliginem in novellas interim excur-  
rentium sine perspiciliis, librosque in obſcœ-  
nos. De his ut mentio fiat prolixior, non me-  
rentur, nomine Sacerdotis indignissimi: pro-  
cul hinc his cum Sacerdotum umbris, quibus  
severa Judicis æterni parabitur Rhomphaea,  
ululaturis certe cum Sathanæ in igne devo-  
rante. Et quid? de restitutione fructuum pro  
rata num cogitant Beneficiati, temerarie ista  
molientes? Ignorantne sancti Pii V, constitu-  
tionem, quæ incipit: *Ex proximo*. Quanta  
omissionis peccata committunt tales, laudis di-  
vinæ neglectores protervi? Aliter nos omnino  
geramus Sacerdotes Fratres! omni satagamus  
conatu, ut Deo nostro deferamus laudationem  
jucundam, & decoram. Glorie studeamus  
Domini, saluti simul & nostræ. Honori no-  
bis ducamus summo, quod cum Angelis com-  
putemur in officio divino. Aderunt nobis,  
aderunt certe purissimi Spiritus, horas cano-  
nicas jucunde, & decore recitantibus. Vi-  
dit eos perspicue Wilhelmus Rothensis ex Ca-  
nonico meo Ordine Praemonstratensi, audiit  
que versiculantes secum jucunde, & decore.  
Expertus est præsentes sibi sanctus Guduna-  
lius Archiepiscopus, cui post: *Deus in adjuto-  
rium*

rium meum intende, alacres respondere : *Dominus ad adjuvandum me festina.* (a) Nihil, nisi maximi momenti res, ab officio divino vel differendo, vel interrumpendo impedit: abeamus a turba, ut sacrificemus ordinate Domino vitulos labiorum. Vitae hinc nostrae multum dependet sanctitas, & vitiorum cautela. Laudemus Dominum: quoniam bonus est Psalmus. Deo nostro sit jucunda, decoraque laudatio. Non doleat super nos capitulum dolentes de celeb. Miss, cuius verba finis hujus proloqui sunt: *Distribuite præcipimus in virtute sanctæ obedientiæ, ut divinum officium nocturnum pariter & diurnum, quatenus eis Deus dederit, studiose celebrent pariter, & devote. Ad damus decore, & jucunde, Amen.*

(a) Sur. in vita die 6. Junii.



### PROLOQUIUM III.

ANTE MEDITATIONEM POMERIDIANAM SECUNDÆ DIEL.

*De Distributione temporis.*

*Ordinatione tuâ perseverat dies, quoniam omnia serviunt tibi. Psal. 118.*

Omnia in numero, pondere & mensura creans æternus omnipotens Plastes Deus, ordinem rerum induxit, operis sui insigne decus. Separans aquas ab arida, semina plantarum animaliumque disponens, alimenta designans omni carni: tempori providit maxime primo Calendario. *Dixit Deus: Fiant luminaria in Firmamento cœli, & dividant dicim, & nobis, & sint in signa, & tempora, & dies, & annos.* (b) Pretium temporis agnoscens perbene, donumque concessum homini singulare, partiri voluit ipsem, ut obserarentur exacte. Sunt, qui dies, & annos hos naturales fuisse duntaxat afferunt; artificiales econtra serius inventos esse asseverant. Palamedi assentatur Philostratus, quod primus annum mensum Cyclum invenerit, quibus Imperatores tum Græci, tum Romani nomina indidere. Hermes trismegistus diem in horas

(b) Genes. 1.

horas duodecim distribuiffe dicitur; Græcis-  
que Basilius alias duodecim noctis addidisse  
autumat. Varia postmodum in diei artificia-  
lis notionem reperit horologia humana sag-  
citas, quibus, quid faciendum, innotesceret.  
Romanis a politia Clarissimis altius in animum  
descendit proficia reipublicæ temporis usura,  
qui horis singulis certa adscripta negotia, ut  
aliae in salutaciones officiosas, aliae in causas  
& Judicia, aliae in rei familiaris curas, aliae  
otio, aliae prandio & cœnæ, aliae Lectioni  
tribuerentur: ut ex Gellio, & Martiale scimus.  
Novit enim gens sapiens haud male, pessime dis-  
pergi tempus, nisi suis circumscriptum limitibus  
diffueret juste impensum. Diem hanc, quam  
vivimus, in salubri proflus negotio transfigi-  
mus fratres Sacerdotes! scilicet expendendo,  
quid sibi præ aliis Sacerdos debeat pro ani-  
mæ suæ incolumitate. De usu temporis bono  
horis pomeridianis audiebamus multa: ut de  
eiusdem distributione ordinata nunc prolixius  
agamus, consultum ducimus. Magna res est,  
& frugifera Sacerdotalis dies. Hæc si ordi-  
natione nostra perseveret, profecto omnia  
servient Deo in meritorum nostrorum aug-  
mentum. Rem a diluculo ad crepusculum  
usque delineemus, & diei sanctæ exhibe-  
mus schema.

Aureæ sunt diluculi horæ pro omnibus:  
& Deus, ut sibi donentur a Sacerdote, & Sa-  
thanas, ut ab eodem conferantur sibi, acriter  
pugnant. Hæc sciens, quid aget, dum ex-

per-

pergiscitur? Deo consecrabit utique horulas  
diei primas, a quibus tota dependet dies sub-  
sequa; surget ergo tempestive, quin stertendo  
præbeat suggestionibus aures, quibus Dæ-  
mon dormitientium phantasiam fatigare non  
cessat. Surget, quin tricet, monitus a Deo,  
& Angelo custode: tolle grabatum tuum, &  
ambula: non jace, sed *ambula*. Tempus est, ut  
exeat homo ad opus suum, & ad operationem  
suam usque ad vesperam. Surget Sacerdos,  
quin in plumis se morose vertat de latere in  
latus, pigro similis, qui vult, & non vult; sur-  
get generose e lecto se proripiens cogitando:  
Ego dormivi, & soporatus sum, exurgam, &  
cito, & alacriter: exurgam, quia dominus  
suscepit me, ut ipsi de novo serviam. Exur-  
gam: quia regulos, hirundines, passerculos  
cantillantes audio creatori suo relicto nidulo.  
Exurgam, ut primum cogitatum meum in Do-  
minum jaciam, quo omnia diei futuræ opera,  
cogitationes & verba ipsi consecrem Sacrificio  
matutino. Exurgam, dum aurora in terram  
roris suis spargit margaritas, ut & ego pri-  
ma lucis novæ cimmelia offeram Deo meo.  
Ita, sic Sacerdos surgit bonus. Sumptis om-  
ni cum honestate vestibus preces persolvit ma-  
tutinas. Has sequuntur matutinæ cum lau-  
dibus, nisi pridie & anticipato fuissent dictæ:  
tum Meditationi impeditur saltem quadrans  
productior. Formantur proposita practica, &  
tessera feligitur certa, quæ per diem totam  
flosculi instar ex hortulo decerti portatur in  
manu,

manu, ut animæ in fragrantiam deserviat optimam. A Meditatione recta ad accessum altaris proceditur, nisi Sacrificium in horam remotionem differendum sit. Sacrificatur ergo a Sacerdote modo, & methodo auditæ heri, ne dicendo eadem facessamus nauseam. Redux a templo Sacerdos quiescit paululum, celsissimæ functionis suæ memor, ne se protinus ad temporalia effundat, paulo ante sublimatus in coelum: ne instar milvorum post gyros in superiori aeris regione factos ad pabulum, & rapinam præcipitet. Jentaculum, ubi natura, non voluptas, exegerit, sumitur dein, post quod necessaria familiæ suæ circumspicit. Horæ tum dicuntur minores pie, & devote, ut ante prandium audivimus, ex diurnali certo in loco parato semper. Noteimus autem diurnale dici libellum hunc, ne horæ differantur in seram noctem, prout advertit non nemo his versiculis:

Est liber iste *diurnalis* de nomine dictus,  
Horas hinc *noctu* tu recitare cave.

Assumitur postea lectio scripturæ, vel studium pro futuro sermone, & catechesi, vel notantur quedam Patrum sensa deservitura pro suggestu; Labore enim non otio, studiose non tumultuarie, ad Evangelizandum se præparet Sacerdos, ut fructificet, ut descendat cum honore. Hora interim prandii appropinquante cessatur a studio, ut Spiritus vitales eo dimittan-

mittantur, ubi pro sanitatis bono eos oportet operari. Examine succincto, & particulari de tempore antemeridianæ facto, propositis que renovatis, mensulæ acceditur frugali, mente in ordinem redacta. Estur, bibitur modestia, & sobrietate in conviviales assumptis. Lectio attentior durante prandio non suadetur, brevior approbatur, vel certe discursus cum sociis ædificatorius, nec Deo, nec proximo injurius, ne solæ fauces sumant cibum, sed & aures esuriant Dei verbum. Mensam diuinim non protelet Sacerdos, ne temporis pretium in patinis, & cyathis plus justo disperdat. Regnum Dei esca, & potus non est. Gastrimargis, quorum Deus venter est, quorum idolum abdomen, & aqualiculus, consuetum scimus, ut abligurire, & vorare negotium sibi putent esse unicum. Proh! animilia sacra! proh hellunes unctos! proh! homines non profundæ modo, sed intempestivæ quoque atque sordidæ gulæ natos, ut ait Suetonius. Natura contenta paucioribus horret talem, & abominatur ingluviem etiam in Laicis reprobandam.

Horæ pomeridianæ Sacerdotis egregii nunc in suo ordine pulcherrimo sunt pensandæ. Dictis post mensam gratis indulgetur corpori mentique relaxatio, vel deambulatione digestioni admodum proficia, vel statione cum discursu honesto, vel lusu corporis exagitationi ferviente. Tempus dein vel rei domesticæ, vel lectioni animum pie exhilaranti recte indulgetur: sunt, qui

opere manuali statui Sacerdotali congruo, ut sunt ars pictoria, musica, hortuli, florumque cultura &c. unam, alteramve collocant horulam, post quam recitantur vesperæ cum completo-  
rio. Egroruni tamen habenda est ante omnia  
ratio, ut statis invisantur disbus, præcipue si decumbant periculoſe. Anticipari item in  
crafinum matutinæ commode poterint, ut  
diei sequentis horæ antemeridianæ pro studio  
ferio pateant magis. Visitatio S. S. Altaris  
Sacramenti sub vesperam omni, si poterit, fiat  
die: totus mundus non post Jesum, sed post  
mundum abit diebus non feriatis. Negotia  
Sæculi obesse sibi queruntur Laici etiam boni:  
quo minus Deo Eucharistico esse præsen-  
tes possint. Et Sacerdos cultum hunc La-  
treuticum Christo, sub speciebus panis latenti,  
& in solitudine degenti, exhibere negligat?  
Et eo accedere tædeat Sacerdotem, ubi fons  
patet vitæ, & inter Angelos moratur Domi-  
nus? Accedat quotidie Sacerdos: quia auli-  
cus Domini est. Aliquantillum temporis suf-  
ficiet certe, ut solatia, & lumina accipiat ne-  
cessaria a gratiarum, & omnium bonorum lar-  
gitore, tum præcipue, ubi templum ab ædi-  
bus parochialibus adeo dissitum non est: pu-  
deat Sacerdotes tepidos se, tam male jura vici-  
næ Christo impendere, ut tabernaculo pro-  
pinqui, de eo saepius invisendo non cogitent:  
pudeat eos, a Tobia puerulo se superari lon-  
ge, cui scriptura hoc Elogium texit: *Cum irent  
omnes ad vitulos aureos, hic solus fugiebat con-  
fortia*

*fortia hominum: sed pergebat in Jerusalem ad tem-  
plum Domini, & ibi adorabat Dominum Deum  
Israel.* (c) Lectio Spiritualis cænæ præam-  
bula a Sacerdote bono haud habetur negle-  
stui, sed rite fit, et si non producta: cænulæ  
tandem assidetur, non tamen in seram noctem  
protractæ: respiratio illi subjungitur, relegi-  
tur curtim meditatio in diem sequentem. Lu-  
stratur conscientia examine serotino, dicuntur  
preces nocturnæ, & cubitum conceditur in  
nomine Domini. Habemus hic diem Sacer-  
dotalem ordinarium fratres Sacerdotes! qui  
placeat, dicite! Fors aliquibus cænobium  
olere videtur? fors Religiosis quam Sacerdo-  
ti fœculari judicatur aptior? at dies Sacerdo-  
talis est competens omnibus, qui ministri  
Christi sunt. Hora horæ indicat scientiam,  
ordine rectissimo una succedit alteri, in Sacer-  
dotis profectum, in populi ædificationem:  
quid animabo! Eveniet, quid fiet de Sacer-  
dote, si absque temporis distributione vivat?  
si confundantur temporis pretiosæ particulæ?  
si omnia permixtim fiant ita, ut nullus ordo,  
sed horror appareat & confusio? unam, ut  
rei tam salutaris faciamus experimentum,  
unam ita disponamus diem! o quantum sapient!  
quo solatio, qua gratiarum abundantia divi-  
tes oculos claudemus dormituri? Quæ mo-  
menta nobis erunt residua, ut agamus bene?  
disponemus unam saltem. Faxim! sequentur  
plu-


plures, & mirabimur, & dilatabitur cor nostrum. Ordinariam non sine causa diem sic ordinatam diximus: alia enim rerum facies erit, si alio nos vocet honestas, si Hospitilitas exigat aliud, aliud obsequia, & urbanitatis jura. Hoc tamen curemus, ut modestiae Sacerdotali decedat nihil, ut turbis non misceamur popularium: ut non deficiant in vanitate dies nostri, sed glorificetur in nobis Deus ubique. Ad cor loquatur nobis Ambrosius, ubi extra domos nostras degentes, diei bene ordinate detrahere quidquam cogimur extraneorum in societate: *Nihil in Sacerdotibus plebejum, nihil populare convenit cum studio, atque usu, & moribus inconditæ multitudo singulare pondus dignitas sibi vendicat Sacerdotis, quomodo enim potest in Exemplum observari a populo, qui dispar non est a multitudine?* (d) Domi, Domi nostræ ordinata nobis decurrat dies. - - - Lucrabimur - - proficiemus suaviter - - dies non videbimus malos, sed optimos, sed meritis resertos, suisque dignos denariis. Credamus Augustino: *Ubi est aliquis ordo, est aliquid bonum: ubi nullus ordo, nullum bonum est.* (e) Accedamus Gregorio Nazianzeno: *Ubi ordo dominatur, ibi universum ornatus, & pulchritudo est inconvulsa; ubi vero ordinis est defectus, ibi perturbationis, & confusionis*

(d) Lib. I. Ep. 6. ad Iren.

(e) de Natur. bon.

*sonis effectus.* (f) Dies nostri sicut umbra declinant, deficiunt sicut fumus dies nostri: appropinquat dies Domini magna, & amara valde, dies mortis nostræ. Ordinemus dies nostros in melius, & temporis scribamus leges, ut opportunum in omnibus nobis effluat. O iacturam horrendam! si tot vitæ nostræ recenseamus dies, qui sine ordine, sine recti regula transiere in æternum non reddituri, & fors proh! dolor æternum perdit. Adujanos Deus salutaris noster, ut ordinatione tua nostri perseverent dies: tunc enim omnia servient tibi, momenta, horæ, dies, menses, anni, omnia. Amen.

(f) Orat. in fun. S. Basili.



## PROLOQUIUM IV.

ANTE MEDITATIONEM ANTEMERIDIANAM TERTIÆ DIEI.

*De Selectu Librorum.*

*Si in toto corde vestro revertimini ad Dominum, auferete Deos alienos de medio vestri Baalim, & Astaroth, & servite ei soli.* 1. Reg. 7.

**R**educitur arca de Cariathiarim, seu civitate Sylvarum, in domum Abinadab in Gabaa, & simul Eleazarus sanctificatur in Sacerdotem, & Sanctuarii custodem; Lætantur Hebraei, omnis exultat Israel, viso iterum sacerrimo scrinio, quod abduxerant Philistæ viatores in templum Dagon, propter peccata populi, & Sacerdotum Ophni & Phinees: declinarunt interim ad idolorum cultum Israëlitæ, cremantes thura deastris spurcissimis Baalim, & Astaroth. In medium properat Samuel vir Dei, & Orator Numinis: pathetice loquitur, Dei veri desertores conversurus retro. *Si in toto corde revertimini ad Dominum, auferete Deos alienos de medio vestri Baalim, & Astaroth, & præparate corda vestra Domino, & servite ei soli.* Nec caruit effectu suo Samuels peroratio. *Abstulerunt ergo filii Israel Baalim, & Astaroth, & servierunt Domino soli.* Et quam efficax, quam felix Samuels erat

Ex-

Exhortatio? *Abstulerunt ergo filii Israel Baalim & Astaroth, & servierunt Domino soli.* Infelicia profecto vivimus tempora fratres Sacerdotes! Infelicia inquam, si Religionis contemptum, si Sacerdotii vilipensionem, si depravationem morum spectemus. Quæ causa abominationis hujus stantis in loco sancto sit, sci re vultis? e qua lerna hæ lues prorepserint, speciatim desideratis? dico, & constanter dico, Idola inter Christianos versantur pessima, quæ nisi tollantur, abjiciantur, eliminentur, ulterius pestifera serpet gangrena, & mala in pejora mutabuntur certe. Et quæ illa? Libros intelligo malos, centones Sathanæ, & folio maledica in Deum, in Religionem, in Sacerdotium. Hos ut amandemus, nos Sacerdotes Samuelis Zelo compellamur: *Si in toto corde vestro revertimini ad Dominum, auferete Deos alienos de medio vestri Baalim, & Astaroth, & præparate corda vestra Domino, & servite ei soli.* Sibi proin suisque omni caveat sollicitudine Sacerdos, ut amoveantur quantocius pestiferæ paginæ, ne damni irreparabilis causæ extent, & malorum omnium scaturigines.

*Sibi primo bene propiciat Sacerdos, ne nocumentum lectiōne vetita inferat sibi. Verum est, a Sacerdote scientiam statui suo congruam desiderari; hac sine errabit ipse, & faciet errare eos, quorum instructioni præpositus est. Si cœcus cœcum ducat, ambo in fovacam cadunt;*

*cadunt; Christi Domini testimonium est ab ipsa natura suffultum. Non prius ad docendum emisit Apostolos suos Salvator, nisi a Spiritu sancto edocetos, & in scientia sanctorum instructos probe. Arcam a vaccis Philistæorum tractam fuisse, in scriptura legimus, at arcam novi testamenti ab asinis, bobusve trahi Deus non patitur. Maxima proin in Sacerdote scientia requiritur, qua duce errores detegat, & in veritatis tramite deducat curæ suæ traditos. Quid miserabilius Sacerdote indocto, ingemiscit Trithemius, qui etiam si prædicacionis non habet officium, ratione tamen suscepit ordinis ad scientiam obligatur scripturarum.*

(g) *Elaborandum est Sacerdotibus, ut ignorantiam a se quasi quandam pestem abjiciant. Gratiani sunt verba. (h) Hæc omnia vera cum sint, & mole sua stent, attamen ut Sacerdos alia non legat, quam quæ statui suo congrua sunt, res conciamata est. In hoc ordinavit nos Ecclesia, ut Sacerdotes simus, ministri fideles, & Dei gloriæ addicti tantum. Huc itaque non ordinantur libri pessimi, sed ii, qui boni sunt: alios Sacerdos non habeat, quam eos, quibus in ascensi seruat, quibus in suggestu adjuvetur verbi divini præco. Et sane libri fontes sunt optimi, ex quibus scientia hauritur. Nemo doctus de coelo vel in rore, vel in pluvia, vel in grandine cecidit. Lectione & Exercitio nati*

(g) L. i. Hom. 4. ad Mon. p. i. dist. 37.

(h) in Decreti.

nati sunt omnes, qui in mundo evasere inter scientificos viri famosi. Hinc tot in orbe claruere Bibliothecæ, etiam, dum barbariem adhuc spiraret mundus. Quam in libros accumulando studuere Persæ, donec Bibliothecæ Syrianæ suum haberent augmentum? quantum in librorum congeriem laboravit Pisistratus, ut ea turgerent Athenæ? quot thesauros consumpsit Philadelphus Ptolomeus, donec in immennum quasi excrescerent scrinia Regia? Librorum Lectio sane æstimabatur semper mufarium Emporium, ut viros doctos haberet mundus semper. Et aseres Sacerdos! affresque libenter, & tibi libros necessarios esse, quibus erudiare in iis, quæ officii tui sunt. Non est, quantos, sed quales habeas, eosque lectites sedulo. Pro cærimoniarum notione, Rituale tibi sit primum. Sunt ascetici, de quibus tibi pro meditatione, & lectione Spirituali diurna, intermittenda nunquam, aliquos feligas. Scriptura sacra, & unum alterumve, qui eam explanant, quam iis indigeas, perspicis ipse: concionatorios libros necessarios esse, nec ipse negabis, qui & methodum declamandi verbum Dei, & materiam subministrant. Non præscribo nominatenus, qui tibi prosint Theologi: ex aliorum, qui rerum experti sunt, scies maturo consilio. Dixi non quot, sed quales habeas, pondera tecum. Duos in Sacerdotibus reperi eriores, quibus mentiuntur sibi, possunt, quorum scrinia Scyphis, cyathis, & vitris splendent: at libri cernuntur nullibi, sed sibi sufficere putant

tant etiam invita Minerva. Sunt econtra, qui ampla & spatiofa librorum armaria ostentant: at nullum legunt: volumina pro tapetibus habentes, ut videantur docti. Ambos errare, esseque ignorantes, dicet quisque. Pauculos habere libros, eosque lustrare diligenter, & accurate satis est, modo lectio sit ordinata. Et quæ haec sit, paulisper inspicimus, ut cum profectu fiat. Senecæ hic monitum premitto. Verba notato! *Distrabit animum librorum multitudo: itaque cum legere possis, quantum volueris, sat est habere, quantum legas.* Ante omnia invoca Spiritum sanctum præcipue, dum Scripturam sacram legere occipis, de qua dietim de genu, & detecto capite capitulum leges unum: alias quod libros concernit idem fac. Authoris characterem imprimis nota, ut æstimes, quæ leges. Scopum libri scias demum: a præfatione legere incipe, nec dispersum quasi venando: sed recto ordine perge. Quæ tibi arrident magis, nota & ut profint ad mentem ejusdem Senecæ: *Quidquid legeris, ad mores statim referas.* Sic profecit maxime Magnus Suaresius dictus Doctor eximius, qui in cubili suo librum unum duntaxat non plures passus est, quo studiofa lectione absoluto, alium prehendit. Kempenfis verba inculcata tibi habe. *Si vis profectum haurire, lege humiliiter, simpliciter, & fideliter.*

Nunc ad eos Sacerdotes vestigium moueo, qui Bibliotheculam suam ornatu pretiosam

tiosam censem, cum illi varia hujus temporis schediasmata inferunt, quæ contra Religionem, Summi Pontificis autoritatem, sanctissimas Ecclesiæ cæremonias, bonos mores, & præcipue pudicitiam, & contra sacros ordines nefandum garriunt, & fuco ornati Sermonis illita, mentem piam horrendum corrumpunt. Schediasmata inquam, quæ ex Typographia Beelzebuthi muscarum Dæmonis, & Asmodei prodierunt, & mundum hodiernum pene totum intoxicant. Et ista Sacerdotes legant? his lectis in scientia mirum progressos se autument? interdum pleno ore in aliorum Societate folia integra recitent? proh quantum malum! proh pessimam ostentationem! quis eos exin infici non credat, dum passim ut indifferentæ garriunt? Videmus, & dolemus madentibus oculis, juventutem his centonibus funditus destrui, & hoc venenum ad corda Sacerdotalia penetrare non credamus, ut ex tali vituperando prorsus librorum selectu fiant peffimi? utinam experientia desuper nos non convinceret. Euge Sacerdotes! si in toto corde vestro revertimini ad Dominum, auferte Deos alienos de medio vestri Baalim & Astaroth, & servite ei-soli. Libros coemite, qui unctione, & compunctione redundant: his polemicam bene docti utimini, ut pro Deo, & Ecclesia, bonisque moribus pugnare sciatis. Verba divi Bernardi vobis dicta censete: *Utilis est lectio, utilis eruditio, multo magis utilio necessaria est.*

(i) Item ea Joannis Climaci: *Noli, antequam virtute Spirituali præditus sis, eos libros legere, qui menti nocere possent.* (k) Gemitum piissimi Trithemii audite. *Sunt Eheu! nonnulli, quos plus delectat ledio nova, & curiosa, quam divina.* (l)

Ultimum demum, quod vobis Sacerdotes curati! preffe inculcem, est; vigilate super gregem vestrum, ne libri scabiosi, & mali eorum manibus terantur, quibus a Deo & a virtute avertantur, superstitiones & mala alia plurima discant affatim: nonne scitis, quot animæ in montibus Salisburgensum perierint, ab Ecclesia segregati, dum Accatholicorum astu libri pessimi per proxenetas pessimos iis erant divenditi? omni ergo rigore visitationi librorum tum Parochianorum, tum Bibliopolarum circumforaneorum ad mala eliminanda incumbite. Paucis ut finiam: auferte Deos alienos de medio vestri, & si quos in veneritis, Paulum imitemini, qui Ephesi comportari fecit libros eorum, qui curiosa fuerunt sectati, eosque comburi, quorum pretium erant denariorum quinquaginta millia. Notate verba sequentia: *ita fortiter crescebat verbum Dei, & confirmabatur. Notate!* (m)

(i) S. Bernard. in declam. (k) S. Joann. Clim. grad. 27. (l) Trithem. sup. Reg. (m) Act. 19. v. 19.

## PROLOQUIUM V.

### ANTE MEDITATIONEM SECUNDAM DIEI TERTIÆ.

#### *De Residentia Parochorum.*

*Pastores erant in regione eadem vigilantes, & custodi entes vigilias noctis super gregem suum, & ecce angelus Domini stetit iuxta illos.* Luc. 2. v. 8.

**Q**uid hoc venerabiles Sacerdotes! anne obstupecendi deerit vobis materies? Nascitur in Bethlehem, carne vestitur humana, filius æterni Patris: reclinatur in præsepio a virginea Matre divinis simus puerillus, vagit infantulus in paleis, & fasciis ligatur sanctissimus pusio, dum in noctis medio silentium tenerent omnia. Quid hoc? Nativitatis tam admirandæ historia ab angelis narratur primo pauperibus ac simplicibus pastorculis? ignorat eam Augustus Romæ? latet illa Herodem, & Pontium? Ecce牧ori fuere primi, qui ad præsepe Domini, ad Messiac cunabula invitabantur, ut illi præstarent homagium? Primi pastorculi vultum divinis simi parvuli intuentur, ut nati Salvatoris testes essent primi; unde illis tanta felicitas, honor tantus? dicere equidem quis posset,

posset, Christum venisse in terras, ut Pastor esset potentissimus; proinde Pastores sibi similes accivisse ad se. Hanc in rem bene cecinit Sedulius: tunc prius ignavis Pastoribus ille creator emicuit, quia Pastor erat, -- Haec, & alia plura sanctorum Patrum sensa esse scio. Summopere tamen placuit mihi ratio non temerarie ab Hildeberto Cœnomanensi allegata, & suffulta a Sylveira in hunc locum. *Hinc est etiam, quod nato Domino Pastores, super gregem vigilantes, angelos aspicunt: quia his, qui pie ac sollicite conservandis gregibus invigilant, sublimia ac divina innoteſcunt.* (n) Hi, addit dictus Sylveira, præcæteris vocantur, qui vigilantes erant, munieri suo instantes, ut in promptu essent parati ad ovibus subveniendum: apposite dicta, ut ad eorum tenorem in isto proloquo pauca de residentia personali curatorum differem.

Et en! Sacerdotes Venerabiles! quantum meruerint opiliones, præsentes gregibus, vigilantes super gregem, in eadem regione non in alia existentes. Hot idem præmium videndi Christum non in Bethleem, sed in coelo manebit Pastores Apostolicos omnes, qui gregi suo, eam non relinquentes, adsunt continuo, ejusdem commodis prospecturi. Ita est, residentia personalis Parochi vel cu-

(n) Ep. 37.

rati oppido est necessaria. Ex Thomasimo Viro doctissimo hic quædam delibo. (o)

Residentiam personalem & Summorum Ecclesiæ præfulum, & curatorum omnium juris, & naturalis, & divini, & positivi humani esse, probatur abunde. Inter ovem & Pastorem relationem naturalem esse, ratio docet maxime: ne ovis pastore, nec pastor ove careat, nexus inter ipsos arctissimus est, cum ovi cura pastoris, pastori ab ove aliamenta necessaria sint. Sine pastore periculis exponitur ovicula, vel a lupis devoranda, vel fame peritura, vel morbo tollenda. Viro curato insuper nomen Medici, & Judicis tribuitur: quis Medicorum autem absens ægrum restituit sanitati? quis judicum, meritis causæ præsentialiter non inspectis, sententiam ferre potuit? discutite ita. -- Christi mandatum Petro, & in ipso omnibus curatis datum audite. *Pasce oves meas, tu pasce non alii; quid clarus ac imperare præsentiam curatis, ut suis invigilent?* Quinimo decreta tot Pontificum, præsentiam personalē inculcantium, inspiciamus, Tridentini Concilii voluntatem enucleatam attendamus, notemus verba tanti Senatus: *Præcepto divino mandatum sit omnibus, quibus animarum cura est comissa, oves suas agnoscer, pro his sacrificium offerre, verbique divini prædicatio-* ne,

(o) de vet. &amp; nov. Eccl. discipl. Tom. 3.

ne, Sacramentorum administratione, ac bonorum operum Exemplo pascere, pauperum aliarumque personarum miserabilium curam paternam gere-re, & in cetera munia pastoralia incumbere, quæ omnia nequaquam ab iis præstari, & impleri pos-sunt, qui gregi suo non invigilant, neque assi-stunt, sed mercenariorum more deserunt. Sacro-sancta Synodus eos admonet & adhortatur, ut divinorum præceptorum memores, factique for-ma gregis, in judicio, & veritate pascent & regant. (p) Dicte, an verbis hisce vel mi-nima umbra sit, quo minus residentia per-sonalis a curatis exigatur? Clarissima certe sunt, & luce solari magis perspicua.

Quodnam ergo judicium sibi aggravant, summoque se salutis propriæ exponunt discri-mini, qui a caule sua multo absunt tempore? de statu ovilis sui curas nullas fœvent? longius se absentant ex causis frivolis? vel qui domi suæ stare nolentes, indiscriminatim circumcursitant, quando ægri & moribundi opem Pastoris sui inclamat? Sacramentorum administratio eo-rum præsentiam exigit? Quid ad ista Sum-mus Pastor Christus, qui hosce ovium sua-rum incurios, gravis peccati insimulatos, dure habebit in judicio? quid Ecclesia, quæ in Tri-dentino fructibus eos privat, & ad restitu-tionem pro rata temporis coerct.

Duplici-

(p) Sess. 23. de reformat. cap. x.

Duplicem autem dari absentiam notant doctores, corporis unam, mentis alteram. Illa tunc esse censetur, quando curatus, ut supra indigitatum corpore absens est. Hæc dum Cle-ricus curatus adest quidem personaliter, sed operatur nihil. Functiones pastorales insuper habet, & contemptui: ex suggestu non pero-rat. Catecheses negligit, ægris non subvenit, moribundis negat adminiculum & pau-cis omnia Vicario suo relinquit. Domi inte-rim vita molli diffuit, cuticulam suam demul-cet, & stertens pulvinari Sathanæ incumbit somnolentus, quid enim aliud ista, ac idem, si ipso corpore mille parafangis a suis fieret procul.

Non equidem diffiteor venerabiles Sacer-dotes! fieri posse, ut curatus subin rationi-bus gravissimis avocetur alio. Sed & hic cau-tela adhibenda est. Primo: ut rationes re-vera pondus habeant suum a Superioribus dignoscendæ, ne iniquitas mentiatur sibi. Secundo: petenda est ab iisdem in scriptis ra-ti habitio & licentia. Tertio: Surrogandus est ad interim alias quis, non qualiscunque, sed ut Tridentinum notat idoneus, qui in curas Curati absentis succedat doctus, & Asceta, ne oviculæ mercenario relinquantur, ad quem non pertinet aliquid de ovibus. Vere hic cu-rabit Curatim. Ut ad Exemplum illius opti-mi patrisfamilias in Evangelio laudati agere studeat. Accomoda prorsus comparatio, ex P. SAILER TRID. SAC. O qua

qua quid facere profectum te facere oporteat, facile digressus. Proficisci vult, statutum est. Et ob negotium non leve sed grave omnino accipere regnum & reverti. En prudentiam, sed & providentiam. Vocat servos suos, & tradit illis talenta, ut negotiarentur interea. Revertens ab itinere strictissimum cum illis Examen init, quomodo rem suam curarint. Nota Sacerdos curate! fine causa graviter impellente itineri te accinges nulli. Abiturus Vicario talenta tua maxima animas tibi concreditas confide cum nota severe inculcata, ut omni conatu vigil sit super oves tuas. Materiam pro suggestu illi commenda. Aegrotorum curam, si qui sint, inculca, & revertens, quomodo successerint res, ab eo strictim exquire, sic Deo satisfacies, & conscientiae tuæ.

Cæterum volupe tibi fit, ut inter tuos comoreris sedulo. Oculus pastoris pascit oves. Multum valebit authoritas tui præsentis, ut mala quaque avertas a grege tuo. Semper inveniant te præsentem. Gaudebunt super te, & lætitia exultabunt super te. Dum animadverterint, quod de iis cures bene, & quod earum salus tua cura sustentetur. Garnelbertum in exemplum produco prorsus, & laudabiliter imitabile. Hic Michelbeckii in Bavaria Parochus quatuor in limitibus Parochiæ suæ erexit cruces addito voto, se ultra eas non excessurum, ut semper maneret

cum

tum suis oviculis. Attendite Sacerdotes curati, ut rem hanc altius imprimatis cordibus vestris. Estote vigiles in eadem Regione super gregem vestrum vigilantes. Et, ut dixi, Jesum videbitis non in præsepio, sed in cælo, ubi pro residentia accipietis præmia excellentia. Sapientibus loquor. Quibus Laconica fatis, cæteris verborum panoplia frustaneum facere est.

## O. A. M. D. G.

## E R R A T A.

| Pag. | Lin.  | Lege.          |
|------|---|----------------|
| 4    | 13 ambabus  | - ambagibus    |
| 14   | 1 gregre  | - grege        |
| 14   | 20 urfuros  | - arfuros      |
| 15   | 18 mænilate   | - amænitate    |
| 29   | 1 thematis  | - themidis     |
| 42   | 9 ignoscam  | - ignescam     |
| 154  | 20 notum labe   | - notatum labe |
| 163  | 22 elegit nos in ipso, adde: <i>ut effemus sancti</i> |                |
| 195  | 20 quid animabo!                                      | - quid amabo!  |
| 205  | 19 ignorant   | - ignorat      |
| 206  | 19 creatorum  | - curatorum    |
| 208  | 17 a caule  | - a caula      |

Connivens reliquis Lector bone corrigat ipse.